


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
14
C
2







# HEROUM


## LIBRI IV.

# AD HEROAS EPISTOLÆ

AUCTORE

EMMANUELE DE AZEVEDO.

*Fidelis Deus, per quem vocati estis.*
1. ad Cor. 1. 9.






LOVANII

** ** 

SUPERIORUM FACULTATE
ANNO MDCCLXXXIX.







CELSISSIMO AMPLISSIMO CLARISSIMO

# PRINCIPI

## GREGORIO ALEXANDRO

POTEMKINIO TAURISCHESKIO

SUMMO DUCTORI COPIARUM

## CATHARINÆ II. AUGUSTÆ
## OPT. MAX.

MAGISTRO EQUITUM
LEGIONARIORUM ET AUXILIARIORUM
PRÆFECTO CLASSIS
AD PONTUM EUXINUM
PRÆFECTO COMPLURIUM ORDINUM
TERRA MARIQUE
PRÆFECTO COLLEGII
CONSILIARIORUM AD BELLICA
PRÆFECTO
CASTRORUM AUGUSTALIUM
LEGATO PROPRÆT.
CATHARINOPOLEOS. TAURIDOS. ET. KARKOVII
PRÆFECTO
EQUITUM PRÆTORIANORUM
LEGATO
LEGIONIS LORICATÆ CATHARINOPOLITANÆ
TRIBUNO MIL.
LEGIONIS PRÆTORIANÆ PRIOBRACHENSKIÆ
CUBICULARIO AUGUSTALI
CAMPIDOCTORI PRIMO
PRÆFECTO
NAVALIUM MOSCHICORUM
ADLECTO
A CATHARINA II. AUGUSTA.
IN OMNES ORDINES EQUESTRES
&c. &c. &c.

HEroum immortale decus, tutela Meorum,
Imperii splendor, cui summa negotia mentem
Semper habent, nunquam impediunt, nec maxima parvis
Officiunt; miro amplexu simul omnia Prudens
Discutit, in medio tanquam vacet agmine rerum.
Sic Te selegit bello, sic pace Ministrum
Maxima Regnantum, seu justas condere leges
Mente gerat, seu mille modis acquirere genti
Commoda, seu magnis nova regna adjungere regnis.
Russia consilium mirata, & mentis acumen
Nomine plena tuo, dum plausibus addere plausus
Gestit, ab Euxino superatis arcibus audit
Te vinci ignarum, & bello insuperabile fulmen
Martis ad invidiam terra, pelagoque vocari.
Littora prospiciunt circum fœdata cruore
Hostili pavidæ frangentem cornua Lunæ
Sæpe renascenti præcingere tempora lauro:
Non animi timeo placidam turbare quietem,
Non quas magnanimo versas sub pectore curas,
Nec dextram invictam, semperque ad bella paratam,
Si supplex parvo exponam mea vota libello.
Qui segetes, populosque beat, qui viscera terræ
Fœcundat, procerumque domos illustrat & urbes,
Non minus in miseros fundit sua lumina Titan.
Sic nostra aspicies facili quæ lusimus æstro
Carmina; si spretæ canimus merita alta cohortis,
Est summo dilecta viro, mihi sufficit unus,

Cui

*Cui placuisse sat est: hinc carmina jure benignos*
*Exposcunt radios, tanto sub sidere clara*
*Accipient lucem, & cum laude superba ferentur*
*Digna legi, magnum ostentent si fronte Potemkim.*
*Si nimium, tamen æqua rogo; nam semper amasti*
*Jesuadas: gens illa semel tibi cognita, morte*
*Erepta, & summis viguit tranquilla periclis.*
*Hoc jactet meruisse decus, serique nepotes,*
*Quam sapienter ames, ex nostro carmine discent.*
*Consilio Catharina tuo subscripsit, in illa*
*Nobile Jesuadis columen matremque dedisti,*
*Matrem conjuratum orbem superare potentem;*
*Per te summus honor nobis, & gloria crescit,*
*Signa Patrocinii Septem concessa Trioni*
*Diffusa exulibus prosint regione remota;*
*Quique tuos livor frustra lacerare clientes*
*Conatur, torvo aspiciens mea carmina vultu,*
*Discedet, tumidosque ausus frænabit & iras.*
*Tu mihi clara fores laudum seges: oh mihi felix*
*Ingenium, si Castalios penetrare recessus*
*Sors daret, & cantus Musis & Apolline dignos*
*Ludere; sed tenui luctor velut anser arena.*
*Et ne vilescant laudum decora ampla tuarum,*
*Audaces animi frænat reverentia nisus.*
*Accipe nostra tamen ceu parvum carmina donum,*
*In quibus exhibeo Fratrum ornamenta meorum*
*Perpetuis mansura annis: tibi pertinet uni*
*Quidquid laudis habent, omnis tibi gloria cedit.*

*Deficiet cultura operi: deducta sereno*
*Carmina proveniunt animo, quod tempora nobis*
*Sæpius excusso perculsis fulmine pectus*
*Dura negant: animo jactet placuisse benigno*
*Non mentis, sed amoris opus; Gens nescia fraudum*
*Candida sinceri gaudet penetralia cordis*
*Noscere; sæva docet plures infamia dextras,*
*Me pietas; movet illa manus, & carmina dictat.*
*Ne tibi displiceant, satis est: Sic Numen in omnes*
*Flexibile orantes inopum pia vota secundat,*
*Nec reputat donum, sed cor donantis honorat.*

Carmina a me edita Tristium libri appellari possunt. Siquidem ab anno 1731. usque ad præsentem plurima opera typis dedi, neque unquam mihi in mentem venit, versus a me scriptos publici juris facere, nisi postquam oppressum mœrore animum aliqua medela sublevare enitor. Hæc enim studia jure merito amœniora vocantur; nam quovis tempore & loco intra nos ipsos mentem exercere & recreare possunt. Venetæ Urbis descriptio a me excogitata fuit, ut animum a dolore diverterem, cum audivi Fratres meos Lusitanos a patria expulsos. Illud enim vulnus corde inflictum me noctu diuque penitus dilacerabat. Inde occasione exilii Hispanis indicti celebriorum Italorum parva poemata in latinum versa eadem de caussa concinnavi, ut in illius operis præfatione professus sum. Artem poeticam ab antiquis, quæ juvenis lusi, & casu supererant, fragmentis collegi, & duo illa volumina Magnæ Moschorum Imperatrici consecravi, dedicatione, prout potui, elaborata, ut Augusto ejus Filio Venetias adventanti cum aliquot versibus in ejusdem laudem scriptis coram offerre possem, miratus eximiam humanitatem, qua ipse, & Augusta Sponsa me dignati sunt excipere, & mihi gratulans, quod ita animum meum erga meorum Fratrum Patronam gratissimum contestabar. Amicis Patavinis innotuit Fastos Antonianos me duorum mensium spatio absolvisse; unde facile deduces, quo conatu fastidiosas curas utilioribus sopire studeam. Hoc vero præsens opus vel exulem Scriptorem, vel, ad quos scribo, exules Lector spectet, peculiari titulo de Tristibus dicendum est.

Canenda quidem ad animum sublevandum carmina, sed non evulganda objicies; sed æger animus cum omnes, quæ illum consolari queant, rationes excogitet, non illos respicit, qui irridendi, sed illos tantum, qui commiserandi occasionem arripient; quare si quædam dicendi formæ vehementiores tibi, quam par est, identidem videbuntur, excusa in amantissimo Filio tenerrimum erga dulcissimam Matrem amorem.

Consulto inserui aliquot versus ex Virgilio præsertim, & Ovidio, eo quod eadem res melius exprimi nequit: mihi videntur scintillæ, quæ obscuriora quæque illustrant; & ut lectori pateat, quos mihi duces ad imitandum proposui.

Tractatarum rerum perspicuitas notis non indiget; eas tamen in calce operis adjunxi loco indicis in gratiam illorum, qui legenda prævenire solent, & vel minimam hærendi caussam fastidiunt.



# CARMINIS EPICI ARGUMENTUM.

*Unica actio omnium virtutum genere illustris, nempe mira constantia, qua Tyrones Societatis Jesu in America a suis per vim avulsi, suis iterum in Italia se conjunxerunt, dignam Epico carmini materiam suppeditat. Eorum gesta in primo libro exordimur a Portu S. Mariae, quo, ablata omnibus veste, convenerunt. Cum Superioris partes plerumque egisset Vincentius a Castro, hic erit praecipuus Poematis Heros; sed cum insignis constantiae laus sit reliquis etiam communis, omnes Heroum nomine appellamus. Inter plures, a quibus munificentiae, & amoris signa susceperunt, primo memoramus D. Annam Mariam Borgiam, ut Proavi sui mentio opportuna inducatur. Huic Matronae narrat Castrius in secundo libro quae sibi, & sociis evenere ab indicto Jesuitis exilio. In tertio Juvenes ab eadem Matrona convivio excepti suarum Provinciarum historias in aulaeis observant: quam opportunam ad poeticum ornatum digressionem judicavimus: in iis vero, quae inter Tyrones evenere, verosimilia ex circumstantiis deducimus; reliqua omnia veritati Historiae omnino cohaerent, licet poetico pennicillo depicta. Borgiae, & aliis de se benemerentibus Tyrones valedicunt, & navem conscendunt. In quarto libro, & ultimo iter a Portu Gaditano in Italiam describitur.*

HE-

# HEROUM

## LIBER PRIMUS.

GEsta, viroſque cano, per quos juvenilibus annis
Crevit honos, crevere ſacræ decora alta cohortis,
Cui nuper nomen dederant, non fraudibus ullis
Decepti, qua juſſa vocant cæleſtia, pergunt.
Injectos ſuperant obices felicibus auſis.
Nec potuere minæ, aut ſeries diuturna malorum
Frangere conſtantes animos, & neſcia vinci
Pectora; multum illi & terra jactantur & alto
Vi Procerum. Tantæ ne animis illuſtribus iræ?
Nec Regum minuetur honor, queis firma voluntas
Reddere felices populos; tamen anxia veri
Neſcia mens fraudum non raro fallitur auſu
Sacrilego, &, qui cuncta nequit diſcernere viſu,
Cogitur heu! Princeps alieno fidere teſti.
Diva, mihi cauſas memora, quid crimine ficto
Sæva lues inimica probi tot adire labores
Inſignes pietate animos, tot volvere caſus
Impulerit; cur tanta Erebo conceſſa poteſtas?
Cur tantum in Juvenes auſus ſævire nocendi
Ardor, & ingenuas Procerum corrumpere mentes?
Non calcata prius terret via: dirige greſſus
Provida, ſolve metu trepidantem, & adire timentem;
Bellaque dum miror priſcis ignota Camœnis,
Da celebrare tuos, nam Te celebramus in illis,
Virgo Parens; tua res agitur, Tibi militat agmen
Heroum; promptum auxilium, vireſque dediſti;
Te mira adjutrice auſus ad magna paratos
Induit, atque Tui ſemper victricia Nati
Fida cohors certo ſequitur vexilla triumpho
Læta animis, ignara metus, & prodiga vitæ.
Magnum opus aggredior; tanto ſub ſidere vatem
Dedeceat tenui modulari carmen avena;

Quin etiam indignor conchas inflare marinas.
Nunc Superum licet ore loqui; Tu Numinis altrix
Affer opem, ſuccede animo, me ſubtrahe vulgo;
Divinos infunde ſonos, faciliſque precari
Vultu, quo cælum tempeſtateſque ſerenas,
Proſpice conantem, & felicibus annue cæptis.
Urbs antiqua fuit, Trojæ tenuere coloni
Exilio pulſi, & fatis maria omnia circum
Jactati, poſtquam ceſſit conſtantia fraudi,
Et celſa ultrices rapuerunt mænia flammæ.
Huc extra Herculeis vada circumſcripta columnis,
Roſcida purpurei fugiens cunabula Solis,
Advectus tuta requievit ſede Meneſtheus.
Tum ſalſa obſervans ſinuoſo cærula flexu
Securum feciſſe ſinum, & contermina pingui
Arva ſolo lætos facile invitare colonos,
Fundamenta locat venturæ ſedulus urbi.
Dum mare, dum tellus, dum viſitur arduus æther
Spargere lætitiam, feſtis per inane choreis
Dulce melos dederat, vociſque plicatile murmur
Aligerum pennata cohors, cælumque ſiniſtra
Intonuit, dum cymba auris dat vela ſecundis,
Et circum obſequitur feſto revolubile ſaltu
Delphinorum agmen. Comites felicia mulcent
Omina, nec veteres amor eſt memorare labores;
Quin etiam hæc medias vox eſt audita per auras:
Tempus erit, quando intrepidos Europa Columbos
Mittet, & Heſperias ultra quærentibus undas
Ignotum nautis audacia deteget orbem;
Terque novem excurrent revoluto ſæcula gyro,
Cum non reliquiæ Danaum, non miſſa remotis
Numina falſa plagis, cælo ſed lapſa ſereno
Relligio incultis diffundet germina terris.
Quæ prope conſpicitur ſtatio bene fida carinis
Tecum una excipiet venientes æquore claſſes,
Lætaque ditabit ſeros fortuna nepotes.

Talibus auſpiciis clareſcere vidimus urbem,
Quæ, poſtquam exercet medio commercia mundo
Navibus innumeris, majori crevit honore.
    Huc ſe contulerat nuper generoſa Juventus,
Quæ ſe Jeſuadum caſtris devoverat ultro
Perpetuis manſura annis; ſed rapta furenti
Turbine & a reliquis diviſa ſodalibus urbes
Longinquas, plenosque minarum viſere vultus
Cogitur, & ſævas pelagi tolerare procellas.
Nec tantum abſtulerat teneram violentia pubem
Veſtibulum ante ipſum, primoque in limine templi,
Quo vix inſiſtens jam vota parabat ad aras;
Sed belli ignaros varia tentaverat arte,
Ne quæſita prius rurſus vexilla ſequantur.
Abſtulerat veſtes, pretioſa inſignia Regis
Ætherei, quamquam attritas, laceraſque, rudeſque;
Queis tamen interea caſus ſolantur acerbos,
Dulcia queis madido juvat oſcula figere vultu,
Et tenero ſæpe amplexu ad confinia cordis
Stringere; at exterior quamquam ſcindatur amictus,
Idem omnes vigor intus agit: violentia mortem
Ferre poteſt, animo ſed non imponere legem.
    Ut miles ductore carens, & remige puppis,
Fluctuat hæc vaſto oceano, timet ille potenti
Armatam conferre hoſti in certamine dextram;
Languida non aliter Tyronum corda putares
Afflicto cecidiſſe animo: ſed rupis ad inſtar,
Quæ tuta erigitur mediis immota procellis,
Intrepidos ſervant animos, cognoſcere fraudes
Edocti, ridere minas; ſævoque malorum
Turbine quiſque novas artes, nova pectore verſat
Conſilia in melius. Manet alta mente repoſtum
Ire viam ſemel arreptam, nec flectere retro,
Multa licet curſum impediant; inviſa profanis
Caſtra ſequi, metuenda Erebo documenta tenere
Fixa animo; quamquam præſens in tempus omittat

Sub

Sub duce quiſque ſuo, charaque in ſede mereri.
Caſtrius ante alios mœſtus pervenit in urbem
Neſcius ipſe ſui, ſocioſque in corde gerebat.
Nunc illos animo volvit, nunc pronus ad aras
Auxilium a ſuperis ſorti poſcebat amaræ.
Heu quid aget! neque enim miſero ſpes ulla manebat,
Dilectos ſocios ſub eodem viſere tecto.
Ut tamen in ſuperos ſuſpiria ſæpe volarent
Libera, & ut lacrimis faciles laxaret habenas,
Indutus non veſte ſua rura obvia quærit,
Qua patet in templum convexi machina cæli,
Sollicitus modo vota pio renovare dolore,
Et dulces ( nam cogit amor ) modo fundere queſtus.
Ah! ſi qua eſt pietas ( auras ſic ille fluentes
Interdum alloquitur ) mea vos ſuſpiria ferte,
Ferte meos gemitus; qui me dolor opprimit ingens,
Curaque, & undantes lacerato in corde tumultus,
Omnia diſperſis ſint nota ſodalibus, oro.
Nec pigeat Latias alis pernicibus oras
Quærere, ſupremoque Duci, quem ſingula norunt
Agmina, teſtari firmum Tyronis amorem.
Jamque Apenninum tranſverſis quærite pennis,
Et ſocios quondam veteri procul orbe remotos
Viſite. Dux ſacræ ( quam nunc regit ille ) cohortis,
Dux mihi primus erat: natum ſi forte dolebit
Amiſiſſe ſuum, diroque in gurgite merſum,
( Quamlibet amiſi, quo me decoravit amictum )
Dicite me ſemper mentem ſervaſſe fidelem.
Vos pelagi fluctus, qui me duxiſtis ab orbe
Occiduo, in terras me ducite rurſus eoas.
Vos etiam pulchros, ſilveſtria munera, flores
Alloquor, illapſo ſeu vos ſuccidat aratro
Ruſticus, aut avido, dum paſcitur agna per agros,
Dente metat, ſeu fœmineis ſervata corollis
Gloria, nativum paulatim frondis honorem
Perditis avulſi trunco; vigor inſitus olim

Nunc

Nunc quamquam mihi reſtat adhuc, me vulnus acerbum,
Meme idem timor excruciat; vos Numina rorem
Mittite, languenti vos vitam affundite ramo;
Donec ſit veſtro defixus in arbore dono.

Talia jactabat mœrens, & mixta querelis
Verba iterans nunc rura notat, nunc cærula vultu,
Nunc defigit humi, nunc cælo lumina torquet.

At Zephyrus circum placidis obmurmurat alis,
Et furta hortorum roſeos inſpergit odores.
Tum virides frondes pluviæ labentis ad inſtar
Cernit, & ignotos volitare per aera flores.
Elevat attonitos mira ad ſpectacula viſus
Caſtrius: ecce autem duplex Matrona decoro
Inceſſu Juvenem circumdare viſa, ſiniſtram
Spes tenet, alma Fides dextram occupat: ut decor oris
Regius! ut veſtis rutilanti luce coruſcat!

Hanc tenui ex lino (niſi lux prohiberet) amictum
Inflexum varie ſibi confeciſſe putares;
Et tegat obſcuro quamquam velamine vultus,
Cuncta videt; ſuperat penetrabile mentis acumen
Intuitus, nec tanta oculis conceſſa poteſtas.
Gemmatum calicem dextra tenet; eminet orbis
Candidus, & niveo decorat labra aurea gyro.
Læva crucem oſtendit, noſtræ inſtrumenta ſalutis
Nexa ſimul, fixos nodoſo ſtipite clavos,
Sertaque conſpiceres pungentibus aſpera dumis;
Lancea ſanguineas maculas in cuſpide ſervat,
Tranſverſam pariter levis ornat ſpongia cannam.

Altera, ut oblatum lætetur prendere munus,
Læta genas, intenta oculos, attollit in altum
Brachia, & inſpecto nutrit ſua gaudia cælo.
Veſtis obit pretioſa humeros, quaſi textile gemma
Fingat opus, radios late ſpargente ſmaragdo:
Perque habitum ſparſim rutilant in imagine flores
Quos tamen in fructus tranſmutat ſertilis arbor;
Pictaque navis acu ventis agitatur & undis,

Sed ſimul optatum ſignat tuta anchora portum.
Obſtupuit Juvenis; nam quamvis providus optet
Contraxiſſe oculos, nunc hanc, nunc aſpicit illam,
Cæleſtique frui ſenſit dulcedine pectus.
Solve metus trepidante animo ( ſic utraque fatur )
Adſumus in magnis ſolamina certa periclis
Aſſiduæ comites ſemper mortalibus ægris,
Corde metus, tenebraſque infirma e mente fugamus;
Perque iter obſcurum & ruptis anfractibus arctum
Ducimus in ſuperos, niſi nos expellere curent,
Et propria malint fera damna ſubire ruina;
Ducimus in ſuperos, felices ducimus umbras;
His tamen ingreſſis, cæli penetralia nobis
Interdicta latent; ſic dum comitamur orantes,
Siſtimus ante fores, ſed earum ſorte potimur.
At nobis dilecta ſoror per ſæcula perſtat
Indiviſa comes; nam poſt confinia vitæ
Numinis ante thronum mentes ſine corpore ſiſtit:
Et cum membra iterum primas rediviva figuras
Aſſument, membra æterno comitabitur ævo.
Hanc tu corde etiam, Caſtri dulciſſime, ſervas;
Nec ſocios unquam illa tuos quacumque ferantur
Deſertura ultro; nobis eſt inſita virtus
In variis ſimul eſſe locis; procul aſpice, Caſtri,
En ſocios præit illa tuos. Nec plura locutæ,
Adverſa oſtendunt venientem in nube ſororem.
Aurea veſtis erat, vivaciſque æmula flammæ
Undique ſpargebat radios, vultuque reflexam
Evibrare procul lucem nitida aſtra putares.
Dextra tenet faculam; jaculatur fulgura pectus,
Sed nullum factura metum: tota uritur intus,
Hi tamen ardores nequeunt inferre dolorem;
Non oculos jubar offendit, quamquam ipſa nitores
Phæbeos late exuperet, nec pulchrior ulla eſt,
Seu terrarum orbem, aut cæli ſpatia ampla requiras.
Vix ubi pervenit, ceu prægnans lumine vitrum,

Cun-

Cuncta nitent, decus inde novum accepere ſorores,
Namque ſolet reliquis non tantum affundere lucem,
Sed, ſi forte adſint, maculas abſtergere Diva.
I nunc, & Charites fallax modo Græcia prome
Delicias afferre animo, placidoſque lepores,
Lætaque virgineo diffundere gaudia vultu.
Aſpice delapſas cælesti a ſede ſorores,
Nam quod ſecum una divinæ particulam auræ
Contineant, ut corda hominum felicia reddant,
Non opus eſt fictis mendacia quærere factis.
Caſtrius optatos, qua ſemita lucis oberrat,
Agnoſcit ſocios, pendetque immotus & anceps,
An Divam primumve petat de more ſodales?
Attamen ancipitem monuit Dea; currite, dulces
Currite in amplexus, atque obvia ſtringite, clamat,
Brachia: tunc alios alii læto ore ſalutant,
Mutuaque alternis concreſcunt gaudia ſignis.
Non ultra videre Deas, perque aera tantum
Neſcio quid fulgoris erat; ſed plurima corde
Signa inerant, ſocias ibi clam manſiſſe ſorores.
Tum genibus flexis tollunt ad ſidera palmas
Unanimi pietate hilares: tibi ſiſtere grates
Nunc opus eſt, ajunt, ſuperi moderator olympi,
Ut decet, & manuum poſcunt opera alta tuarum.
Tu nos diſperſos, ſine victu, & veſte relictos,
Junxiſti tandem; reliquos ſubiiſſe labores
Nobis dulce fuit; ſed vulnus acerbius arces
Providus auxilio: dum ſpiritus hos reget artus,
Da firmum ſervare animum, da vincere ſævos
Aſſultus, ſacris da numquam excedere caſtris.
Nec petimus diras numquam ſævire procellas,
Quando ita conſtituas tibi pectora fide probare,
Mitte Euros, rabidoſque Notos; ſed dirige clavum
Navis inexpertæ, ut mediis bene ſarta procellis
Rideat iratas, ventis agitantibus, undas.
Hæc ubi dicta, urbem accedunt, & læta viciſſim

Si-

Signa iterant, jam multa rogant, quam multa reponunt,
Dum ſeriem memorant alterna voce malorum:
Quam ſit dulce pati, verbis dignoſcitur ipſis;
Delicias animi potius narrare videntur:
Felices rerum eventus, felicia noſcunt
Exilia, horrores, cruciatus, vincla, procellas,
Incuſſaſque minas; ſed tenſa illudere miro
Retia conſilio, laqueos vitare paratos,
Irridere dolos, & tectum noſcere crimen,
Occultaſque artes, cælo, ceu dona, benigno
Attribuunt; & magna licet pro Numine paſſi,
Nil feciſſe putant; nam ſi majora recurrant,
Intrepidi cuncta expectant, ad cuncta parati
Corde avido, oblitique ſui, oblitique ſuorum,
At cælo intenti. Mira eſt in pectore virtus,
Et ſtabiles animos lateri comes addita ſemper
Obfirmat, recreatque novis Conſtantia donis.

Longa via eſt, ſed læta brevem conſortia reddunt:
Jamque humiles patuere fores: nec qualia nuper
Sors felix habitare dedit, penetralia monſtrant.
Caſtrius invitat ſocios, cogitque negantes
Ire prius; roſaſque offert ærugine ſedes.
Lignea nam variis patuere ſedilia formis,
Atque aliquis quamquam officio pes deficit impar,
Teſta parem ſubjecta facit: non culcitra molles
Includit plumas; nec ſaltem textile junco
Apparet faciles conceſſum munus ad uſus.

Quas epulas etiam potuit pia cura parare
Tempore difficili, promit venientibus hoſpes.
Diſcubuere omnes; quem non habuere ſaporem
Pabula, fecit amor; neque tot jejunia paſſis
Nunc audet violenta fames inferre dolorem.

Tum ſenior gravis eloquio, quem Mexica Tellus
Tres hyemes poſt luſtra novem decurrere vidit,
Hæc ait, indicens nutu ſe velle profari.

Poſt mille ambages, poſt mille pericula, portu

Jun-

Jungimur Heſperio: non hoc ſine numine Divum
Eveniſſe reor; paſſi graviora ſodales
Exultate animis: hæc viſere littora primum
Contigit, e patriis poſtquam diſceſſimus oris.
Nunc nobis mare monſtrat iter, qua ſidere fauſto
Præceſſere duces, qua præceſſere cohortes.
Non Erebo incutimus propria virtute timorem,
Sed ſimul uniti: vivendi norma vigorem
Corde fovet, magnoſque animum diſponit ad auſus.
Sic illam obſervant furiæ quaſi ſigna ruinæ
Certa ſuæ, at ſuperis ideo eſt gratiſſima Divis.
Interdum qui jungit amor, ſacra dividit idem
Agmina Jeſuadum; ſed ſi diviſa ferantur,
Dux nutu regat illa ſuo; ſit victima noſtræ
Plena voluntatis; cælo mage nulla probatur,
Offertur nulla ante ſacras pretioſior aras.
Hactenus eſſe ſimul, præſcriptam attendere normam,
Et Ducibus parere modis violentia duris
Impediit: ſpoliata ſuo quaſi cymbula clavo
Et ductore carens mediis jactamur in undis.
Divum cura loco jam nos collegit in uno;
Quos tamen illa duces nobis dedit, abſtulit atrox
Exilium, & proprio cogit nos vivere ductu.
Cogat: in anguſtis præſcripta eſt optima rebus
Regula, & huic morbo facilis medicina paratur.
Parendi nobis meritum, & ſincera voluntas
Reſtat adhuc, noſtriſque aſpirant numina votis.
Eligere ex cunctis, qui nos regat arbiter, unum
Eſt opus: hunc delapſa aſtris prudentia cautum
Reddet, ut imperii faciles moderetur habenas.
    Dixerat: interea pubes dicentis ab ore
Pendebat madida imbre genas; immobilis hæret
Plurimus, at læto promit ſua gaudia vultu.
Altera voce probat, certis pars altera ſignis
Annuit, & medio fulget concordia cætu.
Te, Caſtri, ſignant oculis nil tale timentem,

Dum mentem intentus per nomina ſingula verſas,
Jamque animo ſceptrum natu majoribus offers.
Ut ſuſpenſa diu tenuere ſilentia cunctos,
Conſenſu unanimi vox eſt audita per omnem
Sparſa domum: nos te, Caſtri, dulciſſime Caſtri,
Ductorem eligimus, noſtram rege navita puppim,
Donec ad optatos det cælum appellere portus.
Norma domi metuenda Erebo ſervetur, ut omnes
Loyolæ documenta monent: ſervabimus ultro,
Sed juvat interea ſub te ſervare magiſtro.
Talia dicta dabant; tremuloque expalluit ore
Caſtrius, & propriam culpans incredulus aurem,
Num voces audire putet, numne audiat, anceps
Secum una vario mentis deliberat æſtu;
Donec anhelanti ſimilis ſuſpiria primum
Edidit, & tales vultu dat ſupplice voces.
Tantane vos fallit meriti experientia veſtri,
Ut juvenem imberbem mens ſit præponere bello,
Prælia dum parvam cingunt graviora cohortem?
Nunc opus eſt nauta experto; nam ſævior urget
Tempeſtas, & cymba feris agitatur ab euris;
Crudeleſque nigro minitantur in æthere nimbi:
Nam mundo cum terga dedi vix luſtra volarunt
Quatuor, inque nova potui didiciſſe palæſtra
Multa quidem, at duplicem vis dira abſolvere menſem
Impediit, juſſitque novos perferre labores.
Dicite inexpertus ( ſocii ) quid tempore miles
Exiguo didiciſſe poteſt! Norma optima rerum
Vix mihi nota fuit; quam me didiciſſe putatis,
Exilio & mœſtis potui dediſcere curis.
Vos inter, qui veſte ſacra ſe ſiſtat ad aras,
Cuique viam ſtravit venerando indutus amictu
Præſul, ut ad ſimiles paulatim aſcendat honores;
Vos inter, doctos uſu, virtute probatos,
Maturos annis, meritos illuſtribus actis
Conſpicio: mea ſi poſſem ſuffragia ferre,

Dixiſſem .... Jam dicturo quem mente gerebat
Unanimes obſtant ſocii: comes optime, clamant,
Cede Deo; parere aliis diſcamus oportet:
Tu præbe exemplum, & noſtris tandem annue votis.
Interea placidis ales circum obſtrepit alis
Neſcio quid cæleſte ferens, radioſque nitentes
Fundit, & ambroſiæ divinum ſpargit odorem.
Caſtrius oblatum quamvis invitus honorem
Excipit; in ſocios curas & munia prudens
Dividit, huic precibus ſignare fideliter horas
Et certo ſocios ſigno conjungere, & illi
Ante preces mentem lecto diſponere libro
Creditur; ille rudes veſtes & lintea ſervat
Ordine texta ſuo, viles hic præparat eſcas;
Ille ſtipem quærit, quæ ſponte oblata ſodales
Exuat a curis vacuoſque intendere cælo
Excitet; ille fores aperit pulſantibus; illum
Munditíes interna domus, illum occupat ægros
Viſere, ſiqua lues auſit turbare quietem.
Forſitan in teneram diverſo ex orbe juventam
Afflictam, abjectam, atque òdiis crudelibus actam,
Poſtquam amplas contempſit opes, contempſit honores,
Triſtitiam irrepſiſſe putes facileſque querelas.
Falleris: haud plures habitant ſub paupere tecto;
Nec dubites: nam fecit amor de pluribus unum.
Et cum plus habeat cupiat quam quiſquis habere,
Quamquam aliis videatur inops, ſe divite gaudet.
Nec mirere Deas illapſaque Numina cælo
Hic ſtabilem poſuiſſe domum; quibus illa probantur
Tecta magis, quo plus nobis deſpecta videntur.
Integritas ſedet ante fores; circumvolat ædes
Ingenuus Lepor, atque intus Pax aurea regnat;
Componit placidos rubicunda Modeſtia vultus.
Omnia Paupertas ſuffert, munda omnia reddit
Virginitas, perquam reverenter quiſquis obedit
Dat rebus normam, atque decus Vigilantia jungit;

Abſcondit longa Conſtantia veſte laborem:
Læta ſibi comites addit Patientia riſus,
Faſque Decorque domum luſtrant, queis dulcis Honeſtas
Et demiſſa oculos Pietas & candida Virtus
Additur; in dubiis vigilat Prudentia rebus,
Et medio incedit mitis Concordia cætu.
Tempus erat quo frigus iners per membra per artus
Serpebat, vulguſque ultro invitabat ad ignes.
At ſenior quamquam miti ſub ſidere natus,
Corda Deo plenus diverſa incendia nutrit.
Gaudet ovans monituſque ſuos curaſque probari;
Quodque ducem lecti dignum elegiſſe ſodales
Agnoſcant: ſed jam duplici pugnavimus anno,
Oh dulcis mihi præſul, ait; ſi præmia confers
Immerito, ſi caſtra ſenem dignantur honore;
Me me adſum, da vota ſacras emittere ad aras:
Nam jurata fides ſociis me ſtrictius addet.
Erubuit præſul: factis illuſtribus, inquit,
Dignus ades, teneramqne inter lætum eſſe juventam,
Et ſimiles nobis priſcos effingere mores
Miramur. Qui ferre ultro, qui ſcripta referre
Occultus valuit, tua nunc ſolatia fecit;
Quamque optas lætam majori a præſule ſortem
Obtinui, nec tanta mihi conceſſa poteſtas.
Nunc opus ut ſacro purgetur victima ritu,
Perque dies octo ſtudeas ſenſa intima cordis
Reddere digna Deo, & latitans tibi cognitus uni
Interiore domo conſortia quærere Divum.
Quid referam exultantem animum, quid gaudia vultus,
Quas humiles grates, quæ ſigna expreſſit Joſeph!
Nam ſic nomen erat: ſed nomine, clamat, in ipſo
Omen ineſt; tu ſancte ſenex, qui numinis almi
Diceris orbe Parens, dici permitte ſodalem.
Sed poſtquam abſolvit bis quartum Cynthia gyrum,
Splendidius ſolito radiorum furta retorquet;
Luce ſua tacito labuntur ſidera cælo;

Diffugiunt nubes, ventorum turba reſedit,
Frigora miteſcunt, pictæ ſiluere volucres,
Vixque unus violat nocturna ſilentia gallus,
Cætera dum capiunt animalia feſſa ſoporem:
Nox felix labente anno nox alma recurrit,
Qua Deus, ipſe Deus mortalem indutus amictum
Dura ruinoſæ quærit præſepia rupis.
Dilectam ſuperis noctem & mortalibus ægris
Commemoro, qua virgo ſimul fœcundaque Mater
In lucem ſpectante polo ſpectantibus aſtris
Dat Patris ſobolem, vatumque oracula complet.
Oh felix, qui vota ſacras modo fundis ad aras,
Naſceris & cælo, quando Infans naſcitur orbi
Victima ſponte oblata ſimul, ſimul ipſe Sacerdos.
At tu purpureo meditaris ſingula vultu,
Xavier, inſignis tibi mente revolvitur heros
Indorum cultor; ſimili regione profectum
Nomen & exemplum ſtimulant, ut nobile calcar.
Tyronum immortale decus præponere menti
Sæpe juvat; neque enim Koſtkæ pervenit ad annos
Nunc tua, qua comitum non ulla recentior ætas,
Sed matura polo jam, quod tyronibus olim
Præſcripſit Loyola ſuis, confecerat ævum.
Auguſtinus adeſt, cælo quem viderat Arcus
Oblatum, tredecimque alii, pars magna cohortis,
Aſtæ qui nuper, cum non ſua tecta tenerent,
Offerri potuere aris, deludere curas
Cuſtodum, & dulci ſuperis ſe jungere vinclo.
Reſtat adhuc præſul, ſociis comitantibus octo
Qui ſacra ſignabunt decreto in tempore vota.
Hos ſocii expectant veteres; quinque Umbria tellus,
Quatuor Æmilia, ut demum ter menſibus octo
Exactis firma incipiant ſtatione mereri.
At jam majores creſcunt de montibus umbræ;
Jam cadit a ſummo paulatim Lucifer axe,
Decreſcitque dies albo ſignanda lapillo:

Expectata dies qua non felicior umquam
Illuxit, quæ prima Deum ſine voce puellum
Vidit, ut afflictis ferret ſolatia rebus.
Afferet illa tuis forſan ſolatia votis,
Xavier, & teneri geminabit gaudia cætus;
Neu fruſtra indoleas, ſummi quod præſulis abſunt
Qui valeant ſupplere vices, pia Numina vobis
Invigilant; uno expulſo non deficit alter
Providus, & ſimili mittetur epiſtola ductu.
Jam, ni fallor, adeſt dexteræ commiſſa fideli.
Sume animos, ſuperum vigiles eluſimus hoſtes,
Incipe in æthereas emittere, Xavier, oras
Majori pietate preces, diſponere mentem;
Pelle moras; luces tantum bis quatuor inſtant,
Et jam noſter eris: clamant læto ore ſodales.
Tu quoque (præſul ait) veterem quem miſit in orbem
Sancta Fides, nomenque Deus memorabile donat;
Quemque ſuis juſſit ſervire ſodalibus, octo
Biſque decem meditare annos; inglorius albo
Forſan adhuc clypeo plures fluxiſſe dolebis.
Sed ſua, nec fallor, clypeo jam ſigna relucent:
Utque animo erectus factis illuſtribus addas
Plurima, Xaverium ante ſacras comitaberis aras.
Cætera quid referam? fortunæ plaudite veſtræ
Egregii Juvenes; ſeu vos ſapientia cælo
Lapſa regat tenerumque inflamment Numina pectus.
Vix ego crediderim mediis tranquilla procellis
Vela dari, & curſu nautas properare ſecundo.
Tota in te, Caſtri, juvenum tranſfuſa voluntas
Uſibus edoctam rerumque indagine mentem
Exigeret; quid enim ſtudio incubuiſſe ſevero
Profuit, atque novem ſudare audaciter annos?
Nam tribus occultas naturæ inquirere leges,
Aſtrorum placuit motus Lunæque labores,
Et varios rerum effectus cauſaſque latentes.
Inde annos totidem per Numen amabile, & altum

Arcanum Triadis Superumque oracula verſas,
Et Romana ſibi totidem ſacra jura reſervant.
Hæc ſatis inſtructum vivacis acumine mentis
Teſtantur Juvenem; claro ſe jactat alumno
Sancta Fides: ſupra humanam nunc exigit artem
Per brevia & ſyrtes fragilem deducere navem.
Viderat infernus tetri Moderator Averni
Exitium fatale ſibi, furiiſque minari
Tartareis, niſi parva cohors diviſa futuros
Amittat quos mente prius conceperat auſus:
Tum rauco ſtridore fremit, ſtagna atra tremiſcunt
Cocyti & ſtygiæ longum inſonuere cavernæ:
Conciliumque vocat rabie ſuccenſus & ira;
Ac miſere errantes nigris in faucibus Orci
Acciri jubet & ſparſos toto orbe miniſtros.
Eſt in receſſu nemorum ſpatioſa vorago
Lurida tetra horrenda minax, cui lumen ademptum,
Plena metu, ſervatque fidem & commercia nocti.
Opportuna domus colubrum, atque impervia ſoli,
Quamvis deturpet nigro loca pervia fumo
Flamma vorax fætore gravis, ſed neſcia lucis.
Nec minus extenſum ruptis anfractibus antrum
Igne tremit clauſo & ferventibus æſtuat undis.
Omne latus furor & ſævi incoluere timores:
Somnia terrificis circum deformia larvis
Bacchantur, tonitru nutare caverna videtur
Continuo tetramque exhalat opaca mephytim,
Dum furioſa gerunt reboantes prælia venti.
Exterius montes ſpelæa obſcura ferarum
Incurvant ſeſe pendentibus undique ſaxis.
Tum ſylvæ implicitos per mutua vincula ramos
Agglomerant: triſtes poſſem appellare cupreſſus,
Ni folia objicerent pungentibus aſpera dumis.
Non hic quas lætis quærit venator in agris
Aut lepores timidi, aut longis animalia fetis,
Aut celeres capreæ, aut cervi ſua paſcua quærunt.

Forte lupos ululare audis, ſævoſque leones
Mugitum ſtimulante fame, ſtimulante furore
Edere, nec tuto veſtigia figere greſſu.
Non pennata cohors viridantibus hoſpita ramis
Ludit & aereas variat feſtiva choreas
Dulcia nativi repetens modulamina cantus.
Carmina vix mæſtus rauco dat gutture bubo.
Saxum immane ingens piceoque bitumine fœdum
Stat medio, & longis dat ſcabra ſedilia ſulcis.
Huc ſe contulerat furiarum Rector, & omnes
Advocat infenſas miſeris mortalibus umbras.
Convenere omnes: confuſaque murmura primum
Compreſſit nutu Rector; dein talia fatur:
    Gens nobis infenſa fuit quam Cantaber olim
Collegit: primum ille novem, tum deinde ſodales
Sex decies ſecum accivit; tria millia demum
Si numeres, nunc eſt auctæ pars ſeptima gentis.
Hæc primum bella indixit fatalia bella
Regna per Europæ; atque ultra Garamantas & Indos
Erumpens noſtrum juravit perdere Regnum.
Nec quas obliquo perluſtrat lumine Titan
Pertimuere meis plenas cultoribus aras
Viſere, quaque trahit lentus ſua plauſtra Bootes,
Miratur nivibus lætari pene ſepultos;
Æthiopes ipſos, quos ſol ardentior urit,
Luſtrare audaces, per inhoſpita gentibus antra
Ad prius ignotos Nili conſidere fontes:
Sanguine conſperſos molles ſudore notavi.
Non ſævis ſpelæa feris, non dira venena,
Nec juga celſa, nec ardentes timuere calores.
Quid mirum! ſprevere arcus, ſprevere catenas:
Pectora colla artus gaudent ſubmittere ferro:
Regna immenſa Aſiæ, ſeu qua Mahometica nobis
Jura favent, ſeu qua detecta fronte tributum
Exigimus, celeri veſtigant omnia curſu.
Quid juvat ignoto dudum requieſcere mundo,

De-

Decipere & ſtolidas rerum caligine mentes?
Vix ubi detegitur, pennis velocibus illuc
Pervolitant, noſtramque audent turbare quietem.
Jam vobis, oh fida cohors, hanc perdere gentem
Injunxi: quater illa novem numeravit ab ortu
Exilia; aſt iterum magno revocatur honore.
Nunc ego quas vobis placuit renovare procellas
Auguror exiguo merſuras tempore navem:
Conſiliis perdenda novis pars tertia reſtat.
Sed tamen interea cruciat me vulnus acerbum,
Quod vix obtentos auſim numerare triumphos.
Nil mihi plus cordi, quam talem evertere gentem
Finibus occiduis, ut quos Hiſpania dudum
Servavit gaviſa ſinu, ſic orba remotos
Lugeat, ut nunquam ſe poſſe reviſere credat.
Hæc genti innumeræ cunabula prima fuere,
Et primos dedit illa duces primumque vigorem.
At modo bis tredecim juvenes, qui limina tantum
Prima ſalutarunt, animos ſervare tenaces
Indoleo, poſtquam terraque marique vagantes
Diſtraxi, atque ipſa ſpoliari veſte coegi.
Ah! juvenes, timeo juvenes, & damna ferentes.
Namque aliis accreſcit honor, queis libera pubes
Adjungi cupit, atque obices generoſa triumpho
Conculcat, vitat laqueos, & retia frangit.
Neſcio quam magnos (quaſi nunc tellure ſepulta)
Semina parva ferent decreto in tempore fructus.
Dixit & inpexam nigra ferrugine barbam
Commovet, avellit crines, quatit inde ſuperbum
Terque quaterque caput, veſtes abſcindit, & haſtam
Elevat, infrendens oculis minitantibus ignes
Eructat, rabidoque nigrum vomit ore venenum.
Alloquitur furias furiis agitatus & ipſe,
Cum propere accedit pungentibus aſpera ſetis
Ira ferox lacera ungue genas & dentibus ora:
Huic ſoror it propero bifrons Diſcordia paſſu,

Fert

Fert dextra Vindicta ensem, lævaque voracem
Fert faculam & torvo meditatur funera vultu.
Ceu cum dira tonat præruptis nubibus æther,
Erumpitque suis ventorum turba cavernis
Bella gerens, perque omne latus nemora alta flagellat;
Intonsæ nutant quercus, radicibus imis
Avulsum transfertur acer, diruptaque fagus
Atque annosa ilex per inane volantibus ulmis,
Et vacuum abietibus callem facit ac simul imbres
Incubuere solo, & vires torrentibus addunt.
Jamque armenta ferunt, pecudes pecudumque magistros
Præcipites undæ, diris mugitibus antra
Deseruisse feras cogunt, mistasque querelis
Non bene perceptas homines attollere voces.
Haud aliter confusa cohors alterna vicissim
Verba iterant, sed plena minis, sed plena furore.
Sic sese impediunt; neque enim reverentia frænat
Ulla ducis; late reboant latera ampla susurro
Confuso, sparsique flagellant terga cerastæ.
Forte aliquæ deerant furiæ, quas major in orbe
Cura tenet, quarum adventu nova rebus in arctis
Concilia & stygiæ crescunt nova munia genti.
Nescio quid meditans properante Infamia cursu
Torva supercilio atque oculis in sanguine mersis
Accurrit; nec visa pedes tamen ipsa movere.
Deformis nimium, quamvis formosa videri
Labra genasque ostro depicta & cætera calce
Exigeret, velletque intortum abscondere nasum,
Tabe putrescentes ungues mentumque caducum.
Sola cutis potuit figmentis nigra latere;
Ora movet (vellem obscœnam dixisse cavernam)
Mellifluis usura sonis, sed fellis ad instar
Marcida spuma cadit, nocuumque inspergit odorem:
Scripta manu defert, fraudes comitantur euntem,
Invidia, & Livor: gerit hic puer igneus arcum,
Atque venenatas intingit felle sagittas;

Lon-

Longa illi macies vix pellem linquit & oſſa.
Nam quacumque oculos volvit nova vulnera ſentit,
Intortiſque accenſa oculis cæcoque furore,
Ut leo fatali transfixus vulnere, rugit.
  Larva quidem vix ante thronum ſe proxima ſiſtit,
Ut faveant linguis rector jubet: ilicet omnes
Applicuere aures, redeuntem ex orbe ſodalem
Mirantur curis preſſam & ſudore madentem.
  Illa graves mæſto fundens e pectore queſtus
Interrupta prius ſuſpiria mittit in auras,
Atque ait: oh ſtygio furiarum rector averno,
Non me, quas animo prudens, quas pectore verſas,
Delituere artes: ut poſſim evertere nomen
Jeſuadum, ſociis opus eſt: invenimus aptos,
Quos parvus docuiſſe labor; nec fingere vultus,
Nec nigra mentiri niveo curavimus ora
Pigmento; nam ſponte manus in noſtra dederunt
Conſilia, urgebant potius properare volentem:
Arripiunt calamos, ſexcenta volumina primum
Me duce conſcribunt, & quamvis ſomnia narrent
Jeſuadum infamem ſatis eſt depingere gentem.
Non cura eſt meruiſſe fidem: cum laude triumphat
Majora inviſis appingens crimina turmis.
Tum varias intrare domos, perquirere cætus
Inſtigo, vulgata typis modo falſa fateri,
Et titubare modo, & vafram ſuſpendere mentem
Libræ inſtar dubiæ, quæ demum parte ſiniſtra
Decidat; hinc placidos paulatim incendere vultus,
Inque luem ſcelerum ficto exardeſcere zelo.
  Sic homines queis candor inest, ſic neſcia fraudum
Pectora mentita ſenſim deluſimus arte.
Sic ego, ſic alii ſcriptis & voce venenum
Fundimus; inflictum vix jam medicabile vulnus
Creſcit, & attonitas crebris ſermonibus aures
Allicimus ſæpe ingenito novitatis amore.
Eſt aliquid ſparſiſſe picem; fruſtra anxius omnem

Abſterges: maculæ vel odoris ſigna ſuperſunt;
Nec vetitum regumque thronos & tecta ſubire
Aurea, magnatumque elata palatia cælo.
Seu forte eveniat lites agitare forenſes,
Seu belli proceres paciſque negotia tractent:
Jeſuadas ſæpe intrudo; tibi, maxime Rector
Umbrarum, noſtri fructus patuere laboris.
At modo disjunctam ſociorum ex agmine turmam
Inveni juvenum, qui vix ſua nomina caſtris
Inviſis dederant, quin nulla inſignia veſtis
Jam retinent, ſub qua paucis meruere diebus.
Ergo rudem conſila manum ductore carentem
Aggredior; ſeniorum artes & crimina pingo,
Quæ ſpatio noviſſe brevi immaturior ætas
Vix potuit; facile in laqueos ſincera doloſos
Mens ruit, ut ſtolidos uncus trahit æquore piſces
Hamus, & aurato mortem parat offa veneno.
Ne maculent teneras & adhuc ſine crimine mentes,
Ne præbere auſint blandis ſirenibus aures,
Cænoſam ne rurſus aquam & contagia quærant
Aeris infecti, moneo; nam ſæpe juventam
Decipit incautam fictæ pietatis imago,
Et lapſu occulto paulatim corruit ætas
Flexibilis, ſerpitque ignotum in corda venenum.
At licet hæc promam ſpecioſo texta colore,
Nil noſtræ valuere artes; quin regula morum
Sanctior (heu!) timeo mea ne mendacia culpet.
Jam mihi fatalis per totam ſpargitur urbem
Rumor, & in pueris ſeniorum exempla notantur.
Jam nos incipiunt noſtroſque horrere miniſtros,
Qui prius incertis præbebant vocibus aures.
Ergo age: ſola poteſt noſtris violentia curis
Præbere auxilium: (nec ſit mora longa) per auras
Mitte, precor, celerem; lateri comes addita ſemper
Ipſa adero; proceres adeundaque tecta docebo.
Curemus ne parva cohors unita ſuorum

Vi-

Vivendi formam aſſervet, ſed quilibet ædes
Nativas petat, & veteris nunquam ora ſodalis
Aſpiciat: ſcelus hoc firmetur morte luendum.
Aſſenſere omnes: ſolio tum Rector ab alto,
Ite, ait: unanimi curas intendite niſu.
Urget opus, res magna agitur. Tum murmura cœtu
Sparſa volant. Textam ſpinis Violentia veſtem
Induit atque agiles humeris accomodat alas;
Accipit & bifidos enſes, flammamque voracem,
Fulmineum ſaxum, collectos turbine ventos,
Et petit Hiſpanas numquam truculentior oras,
Dum furiæ ſe ſponte addunt & pone ſequuntur:
Sed fruſtra inſudant celeres æquare volatus.
Interea juvenum mulcebant corda ſorores
Quæ media patuere via; quin plurima miris
Artibus afflictæ quærebant commoda genti.
Viderat hic ſtabilem plures Clementia Divas
Intentas recreare animos, arcere pericla,
Elegiſſe domum, commotaque viſcera ſenſit
In juvenes matriſque libens ſibi munia ſumpſit.
Borgia prima fuit generoſo ſanguine ducta,
Cui Dea dilectam commiſit ſedula pubem;
Nam cum forte viam lentis inceſſibus iret
Læta genas, paulumque oculos dejecta modeſtos,
Matronæ admovit propius ſe Diva, piumque
Cor tetigit facula & digito monſtravit euntes.
At Matrona gravi jamdudum ſaucia cura
Ad ſeſe acciri cunctos jubet: ac ſuus olim
Regali de ſtirpe atavus jam mente recurrit,
Ornamentum aris, decus immortale ſuorum.
Regibus heſperiæ clarum, ſeu ſceptra gerentem,
Sive rudi lana indutum, ſecum ipſa tacendo
Commemorat: tandem in dulces diſſolvitur imbres.
Ter conata loqui, ter lingua implexa palato
Subſtitit & reflua introrſum vox faucibus hæſit.
Felices (clamat) juvenes! at cætera fletus

Im-

Impediunt, nec plena ſinunt emittere verba.
Felices dictura iterum: ſenſa intima dulci
Exprimit intuitu, & gemitum pro vocibus edit.
Adfuit officio blandæ Clementia dextræ
Linteolo abſtergens vultum, monuitque profari:
Non tamen illa probat voces, niſi facta ſequantur.
Felices juvenes ( tandem ſic Borgia fatur )
Borgia, quem veneror, claro mihi ſanguine junctus,
Veſtræ gentis honos, & tertius ordine præſul,
Excepit profugum lætus tanto exule Koſtkam.
Majore exilio cauſa vos cernit eadem
Quærere conceſſam, ſed quam violentia veſtem
Abſcidit; abſciſſam ſed non doleatis: ab ipſo
Loyola juſſus veſtem retinere profanam
Borgia veſter erat; cordis penetralia numen
Cernit & externi ſpeciem nil curat amictus.
Vos Loyola ſuos noſcit, vos Borgia natos;
Cur non mater ero? Quæ dici ſanguinis hæres
Glorior ingenitum cur non imitabor amorem?
Longa retro ſeries & avi numerantur avorum
Jeſuadis mire addicti; vel in urbibus amplas
Conſtruxere domos, ſummis vel honoribus auctos
Ornarunt, vel ad uſque Indos duxere remotos.
Proh dolor! hoc proceres, hoc ipſi ſanguine reges
Educti non hos ſervant a ſanguine mores!
Sed quid ego mites deduco ab origine ſenſus,
Cum genus & proavos & quæ non fecimus ipſi
Vix ea noſtra vocem! Charos ego ſemper amavi
Jeſuadas: decor iſte meo tribuendus honori.
Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.
Sic me cauſa duplex urget; nam tempore duro
Creſcit amor, creſcit pietas, certoque probatur
Indicio. Quid enim fidum jactamus amorem
Tempore felici, ſi candida tecta columbas
Alliciunt, ſi læta greges ad paſcua currunt?
Me ( licet experiar variæ infortunia ſortis )

Fe-

Felicem, quod vos potui juviſſe, fatebor.
Paupere ſub tecto famuliſque ciboque caretis:
Sed tamen hæc vobis domus eſt, hæc veſtra ſupellex;
Me famulas adhibere manus in veſtra juvabit
Obſequia atque epulis menſam ſervare paratam.
Dum loquitur merito inſignem Clementia Petrum
Duxerat. Hic juvenes vix eſt data copia fandi,
Alloquitur, miriſque modis decora ampla recenſet,
Tum centum arridens nummos læto ore profundit
Uncia quos æquat, pretiumque argentea moles
Indidit: atque alios vobis jam quærimus, inquit;
Horum dimidium non magna extraximus arca,
Sponte ſua numerum charus mihi frater adauxit.
Anna parat totidem, totidem numerare Mathias,
Seque pari cura ſocium Laurentius addet.
At ſexcenta libens argenti pondera mittet,
Nam potis eſt, miraque alios pietate Joanna
Jam ſtatuit ſuperare & dona adjungere donis.
Sæpe recuſarunt juvenes contingere cuſum
Argentum; ſatis eſt, ajunt, ut craſtina victum
Menſa paret. Non hæc hominum, ſed munera cæli
( Petrus ait ); præſens urget penuria victus:
Plus urget quod reſtat iter; per inhoſpita ponti
Ibitis arbitrio ventorum & luſus aquarum
Bis tredecim anguſtæ concluſi navis in alveo
Quo ferat incerti dubiæ inconſtantia ſortis.
Non eadem ſemper variis prudentia cauſis
Obſervanda monet; præſtat confidere cælo,
Sed tentare Deum fraus eſt temeraria cordis.
Tempus erit, quo ſpernat opes ut ſpreverat ante
Sanctus amor, placeatque inopem traducere vitam.
Talia dicta dabat: ſed cum reſponſa pararet
Caſtrius, impediit titubantes Borgia voces,
In quarum ſubiere vicem data ſigna latentis
Sed nunc clara animi, & juvenilis purpura vultus
Tum mecum, oh juvenes,(neque vos reverentia tardet)

Acce-

Accelerate gradus: vos heroina, vetuſtæ
Nobilitatis honor, procerum generoſa propago
Advocat, ut feſſæ præſtet ſolamina turbæ;
Sic Petrus; lætoque reponit Borgia vultu:
Ite animæ fortes, quo vos merita alta repoſcunt;
Utque alii oſtendant me vos ſapienter amare
Grator; amabilibus nequeunt me vincere curis,
Aſt utinam vincant generoſæ munere dextræ.
Oh! noſtris miſerata malis ( tum Caſtrius inſit )
Solvere quas juveni prohibet facundia grates,
Quæque tua dignas exornat origine dotes,
Hæc nos excuſat, ſi ſenſa oſtendere cordis
Qua vellem, quaque ipſa mereris voce, vetamur.
Tu potis es facto, nec tantum oſtendere verbis
Quid pietas, quid poſſit amor, quid larga voluntas
Pectore magnanimo; at nobis deſunt quoque verba;
Non deerit Deus, ille Deus, qui præmia tantis
Præparat officiis & multo fœnore ſolvit.
Tum primum juvenes oculos attollere viſi,
Intuituque brevi lætos defigere cælo.
Jamque abeunt: Petrus ante alios in veſte Sacerdos
Oblonga breviore via deducit euntes.
Auguſtæ patuere fores; inſignia fulgent
Elato ſuſpenſa loco; prope limina cuſtos
Purpurea ſtat veſte haſta metuendus & enſe;
Ac mille undantes fervent famulantibus aulæ;
Strata pavimentum decorant; latera ampla domorum
Intertexta ornant variis aulæa figuris;
Sed qua parte cadunt ornata ſedilia plumas
Leniter excuſſas pretioſo tegmine condunt.
Ne tamen omne latus ſeries circumflua gyro
Occupet, in medio cernis conſurgere menſas
Arte laboratas, ubi lævia ſuſtinet aurum
Marmora, quæ rutilis æquat gens indica gemmis.
Ramoſi pendent lychni, laquearibus altis
Scrinia fecit ebur, fulvoque intexta metallo

Secta minutatim variis conchilia formis,
Materiem, qua lux creſcit duplicata reflexu,
Nobile vincit opus, nihil eſt ibi vilius auro.
Perveniunt juvenes, quos vix exceperat aula
Tertia, ad internas celeri ducuntur honore:
Quoque Joanna loco ( procerum ſtipante corona )
Excipit obſequia, & ſedem venientibus offert,
Excedit, quæritque adſcitam ſedula pubem.
Gens, inquit, dilecta polo, gens neſcia vinci
Sume animos: Deus in vobis Deus ipſe triumphat;
Bella quidem geritis non viribus apta nec annis,
Et tamen intrepidam ſequitur victoria dextram.
Non potuere minæ, non vos potuere furores
Frangere, cumque dolis mendax infamia palmam
Deſperat, victuſque dolet ſe judice livor.
Ultima, ni fallor, duo vos tentamina quærunt,
Torva hominum facies, paupertaſque indiga victus;
Hanc tamen optatis, vobis nihil illa timetur.
Deſpiciant alii, ſed vos venerabor, & omnes
Agnoſcent magnis me vos præferre Dynaſtis.
Nec fluat ulla dies, quin viſere noſtra frequenter
Tecta juvet; variis aderunt bellaria formis
Salgama paſtilli juvenumque ſalubrior hauſtus.
Ipſa omnes veſtro adventu ſtudioſa relinquam.
Bis centum interea nummos ( cur ora rubeſcunt? )
Primitias noſtræ nunc ſumite munera dextræ:
Nec deerunt qui ſponte parem teſtentur amorem.
Dixit, & aſſurgens dimiſit læta ſedentes.
Quaque datur brevitate loqui, ſic Caſtrius infit:
Non mihi ſi centum linguæ facundaque centum
Ora forent, digna obſtrictum me voce faterer.
Sæpe jubes etenim repetam tua tecta, quod optas,
Explorare avidus, tua juſſa capeſſere promptus.
Ne tamen incertis agitem rumoribus urbem,
Scis bene quam vigilans damnandi quæritet anſam!
Non ſimul unitos mittam, tua munera binos

Excipient: ſic tanto omnes potientur honore.
  Jamque diem clauſo componit Veſper olympo,
Et ſua tecta petunt. Precibus de more ſolutis
Quiſque ſuas addit, ſomnum imminuiſſe juvaret
Communemque cibum, ſpinas ſub veſte rigentes
Induere, & ſævis corpus lacerare flagellis.
Sed magno licet in ſuperos amor ardeat æſtu,
Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque vetat divertere præſul.
  Tyronum interea quamquam ſtudioſa latendi,
Allicit ipſa oculos virtus pulcherrima virtus,
Quam prodit cæleſtis odor; quid nubila ſolem
Abſcondunt? Lux ipſa probat transfuſa latentem.
Jam nova materies crebris ſermonibus urbem
Implicat, & vario turbat diſcrimine cives.
Dumque ſimul plauſu & lacrimis celebrantur obortis,
Impia non deſunt ſtolidæ convicia plebis:
Tantum tartareæ poterant ſuadere cohortes!
  Ceu cum caſtra ſimul campo ſpatiantur aperto,
Adverſa ſtant parte acies, contraria ſignis
Signa micare vides & pila minantia pilis;
Quiſque tamen cautus tuta ſtatione moratur,
Virtutemque doloſque hoſtis proſpectat, ut ipſum
Seu laqueo trahere incautum ſeu frangere niſu
Evaleat, ſimileſque agitat pars utraque curas;
Et quamvis temere ſe numquam immiſceat hoſti,
Emittit vivace oculo, bibula aure probatos,
Ut cuncta obſervent, quandoque interna ſagaces
Caſtra petant, odiſſe ſuos, ſeu ſpernere fingant.
  Haud aliter juvenes pars una ferebat in aſtra,
Altera pars urbis vultu damnabat acerbo.
Crevit amor (tantum exemplis & voce diſerta
Matronæ potuere graves, & amica piorum
Cura ſacerdotum) teneros pars maxima ſenſus
Induit, & donis proceres & laudibus ornant.
Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus:

In multis diverſa animi ſententia pectus
Invadit, ſenſimque odium implacabile gignit.
Alter in alterius tentat penetralia cordis
Illabi, cupiduſque ſuorum accreſcere vires
Quid verſet ſecum abſcondit, quid ſentiat intus;
Forſan amare inquit juvenes, quos perfidus odit:
Se forte infenſum jactans inſtillat amorem.
Hic illos odiſſe timet, timet alter amare;
Nam multos res ipſa movet, reverentia multos
Magnatumque timor: plures manifeſta latentis
Signa animi voce & facto ſine fraudibus edunt.
Borgia ſollicito jamdudum in corde gerebat
Singula, quæ fuerant juvenes diſcrimina paſſi,
Quas fecere vias, qua ſunt regione profecti
Noſcere, & acciri rogat officioſa Joannam,
Et claros pietate viros, qui divite dextra
Ultro ſigna animi dederant. Dilecta juventus
Sæpe recuſarat longam contexere rerum
Iliadem; nunc victa ultro jam cedere gaudet:
Nempe tot officiis nil computat eſſe negandum.
Claudere ſemotos ferrato cardine poſtes,
Et famulos procul eſſe jubet: domus ampla ſedentes
Excipit, utque brevi reſonavit tempore murmur
Dicturo juveni ſignum dat Borgia vultu.

*Finis Libri Primi.*



# H E R O U M

## LIBER SECUNDUS.

Conticuere omnes intentique ora tenebant:
Inde oculos defixus humi pudibundus & anceps
Subſtitit, & tandem roſeo ſpectabilis ore
Caſtrius obſequium pronus teſtatur in omnes,
Ultimus admittit ſedem, dein talia fatur.
Infandum matrona jubes renovare dolorem
Jeſuadæ ut ſedes & chara habitacula cælo
Perdiderint, quin templa Deum ſpoliata miniſtris.
Plura ( fatebor enim ) rerum diſcrimina diro
Exilio ſubiere ſenes, nec ſparſa decoro
Pulvere canities veneranda coercuit auſus.
Tot lætæ ſegetes quondam ſtabula alta ferarum
Languefcunt, cultoſque dolent ſilveſcere campos:
Arva rigent, fœcunda olim ſudoribus arva,
In quibus effuſi reſtant quoque ſigna cruoris.
Quid mirum, ſi forte pari jactata juventus
Opprimitur, ſeu pulſa domo, ſive indiga victus,
Seu ſine veſte exul; quæque ipſe miſerrima vidi,
Et quorum pars magna fui. Quis talia fando
Emeritum juvenumque aut ipſo a limine tyro
Temperet a lacrimis? Sed jam decreſcit ab alto
Prona dies, ſuadetque ſtrepente Favonius aura
Otia tranquillo captare ſalubria greſſu.
At ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros,
Et breviter longos Tyronum audire labores,
Quamquam animus meminiſſe horret luctuque refugit,
Incipiam. Statuit propriis expellere regnis
Jeſuadas qui ſceptra tenet; quæ cauſa benignum
Impulerit fortaſſe animum indagare vetamur.
Hos Lyſia ejecit, quod crimina ſæva patrarunt
Obliti legum, quas Dux præſcripſerat olim

Queis nil laude magis dignum nil sanctius umquam,
Gallia Jesuadas laudat damnatque Parentem.
Sic vestem abscindit sic leges tradidit igni;
Dissolvit socios & tecta relinquere cogit.
Præstanda ignotis deerat reverentia causis;
Hispanus jubet hanc Rector; præstabimus ultro.
Est tibi nota quidem regio vastissima tractu,
Quam Mundum dixere Novum, nec mole minorem
Terrarum cupidus poterit dignoscere mensor.
Ultima sit quamquam & lapsis incognita sæclis,
Non tantum spatio veteres pars quarta, sed ipsa
Fertilitate loci superat cælique benigna
Temperie felix, quæ gaudet veris honore
Perpetuo, & gemmis ac divite fæta metallo.
Hæc latum oceanum quasi fine carentibus undis
Dividit hac illac penitus tellure remota;
Qua salsas prospectat aquas, latera ampla salutant
Solis equos sive occiduos, sive alta petentes.
Tangit utrumque polum qua longe extensa recurrit
Quamlibet extremos abscondat inhospita fines:
Sed fortasse manet seros ea cura nepotes.
Decrescunt secta in medio spatia ampla locorum,
Et diffusa intus sinuoso littore complet
Labilis unda lacum, gemino commercia ponto
Hic tellus angusta arcet, postquam Insula reddit
Plurima difficiles aditus; borealia florent
Mexiaco regna imperio; si versus ad Austrum
Elatas lustrare velis Carthaginis arces,
Perge ultra; regio objicitur, qua mense voluto
Sancta Fides metam optatam se præbet eunti.
Montibus impositos credas ascendere montes,
Donec planities circumdat fertilis urbem.
Tum mare pacificum sævis immune procellis
Lima videt, solemque procul descendere in undas.
Hæc caput Imperii quondam fuit; at modo classes
Hispanas ditant pretiosæ viscera terræ.

Si fugias Boream atque argenti a nomine dictum
Quærere flumen amas; ſed ubi ſibi nomen ab ortu
Servat adhuc, vaſtum oceanum ſeu dulce profundum
Forte putes, nec terra ambit ſpatioſius ullum;
Interius procul a pelago decurrit utroque
Terra potens armis, ſed non fæcunda metallo;
Divitias tenues tantum levis herba miniſtrat.
Quatuor hæc nobis dederant cunabula plagæ;
Bis octo dat Sancta Fides, Paraquaria ſeptem,
Mexica terra duos, unum quoque Lima miniſtrat.
E numero majore tamen deducere rerum
Eventus juvat; heu ſimili ratione ſodales
Diſtracti oppreſſi, tam quos modo (Borgia) cernis
Quam ſex mille alii pariter ſubiere labores:
Lex eadem patria detruſit ſede cohortes
Egregias; eſt norma eadem præſcripta miniſtris.
Aut eadem aut diverſa parum tibi finge per omnem
Eveniſſe orbem; ſeu toto oriente remotos
Mente geras, ſeu quos charos America magiſtros
Amiſit, ſeu quos inter ſuſpiria plebis
Hiſpani videre ſuis diſcedere terris;
Quæque oculis egomet vidi tibi, Borgia, promam.
Forte per ambages nimium differre videbor
Quæ narranda paro; tamen hac dolor utitur arte
Ne plagam attrectet manus inconſulta recentem.
Non aliter lenis chirurgus vulnera palpat,
Blande indulgentem dum per confinia dextram
Circumagit, fœdoſque dein medicatur hiatus.
Jam late inſperſum tenebras & ſidera lumen
Expulerat, roſeiſque nitens Aurora capillis
Nuntia Solis erat; primos oſtendere vultus
Montibus ex altis princeps tentaverat aſtrum.
Orta dies menſem Auguſti de nomine dictum
Cæperat, ad ſolitos cuncti rediere labores.
Prata greges, armenta nemus, ſua rura coloni
Jam repetunt celeres, dum gens pennata volantum

Col-

Colludit patriæ ſylvæ ſolemque ſalutat.
Mecum una interea teneros ſervabat alumnos
Tunca ſuos: Tunca ante alias mihi charior urbes,
Quæ mihi Jeſuadum primos conceſſit honores.
Tunc aliis ſocius ſignum dabat ære ſonanti,
Ut ſimul uniti ſacras frueremur ad aras
Alloquio Divum; nam lex monet optima cunctos
Primitias lucis cælorum ſolvere Regi.
Fit ſonus ante fores, atque importuna vocando
Signa dedit; forſan ( dixi ) miſerabilis æger
Auxilium a noſtris, animæ medicamina, poſcit.
Fallimur: en Judex oblonga veſte cohortem
Præcedit, dant arma ſonum ſparguntque nitores,
Atque domum terrore implent, ubi degere gaudet
Tuta quies, placidoque habitat pax candida vultu.
Ceu cum forte lupi clauſo inducuntur ovili,
Immoti trepidant agni, mutoque timore
Nec balare audent, nec mortem evadere tentant.
Haud aliter teneram circumdant arma juventam;
Sed diſpar animi motus, quiſque appetit ultro
Hoſtia cæleſti moriens ſe ſiſtere Regi.
Forte ſceleſtus adeſt, qui crimina ſæva patravit,
Et latitans ſe noſtra fugax in tecta recepit;
Neſcio quis ſimiles volvebat pectore ſenſus,
Dum ſtricto vigiles cingebant enſe cohortes
Interiora domus, cuſtodit limina ferrum,
Quaque fugæ locus eſt, quamvis fuga nulla timetur,
Invigilat miles galea metuendus & armis.
Nec ſatis eſt quos prætor habet de more miniſtros
Ducere, ſed ſacris addictos convocat aris:
Hos inter Præſul Guſmanæ gentis, ut ipſa
Venturum exilium jam tunc ſubeamus in urbe;
Regia collectis decreta ſodalibus alta
Voce patent; ſuſpenſa bilanx Tyronibus hæret
Aut veſtem exuere, aut patriis diſcedere regnis.
Oh Pater, o hominum ſuperumque æterna voluptas!

Scis bene quam læti pro te subiisse labores
Secum una corde unanimi statuere sodales:
Nos gravius petiit fulmen; divellimur inde,
Et tenero sublata gregi pia cura magistri;
Non oculos defigere humi, non verba monemur
Ad trutinam revocare prius, non ære notantur
Tempora, nulla precum, non fandi aut certa tacendi,
Non regit externos præscripta modestia sensus,
Nullaque inexpertos deducit regula mores.
Quin etiam nobis se fœmina nocte videndam
Obtulit invitis, vultu composta doloso
Læta oculos rubicunda genas discincta capillos,
Non formosa tamen, quamvis formosa videri
Expeteret, tegeretque insperfos murice nævos.
Leta nimis verrebat humum, perque aera vestis
Ludebat vento, motuque agitata citato
Nescia stare loco partes celer ibat in omnes,
Nullaque fœmineum servabant signa decorem.
Et quamquam indoluit nos qua se cumque ferebat
Avertisse oculos, verbis affatur amicis
Insidiosa loqui: nihil est mortalibus, inquit,
Dulcius, oh juvenes, quos non satis instruit ætas,
Nil quoque nobilius quam me servare , nec umquam
Servili dare colla jugo dum vita manebit.
Libertas ego sum: pro me temnuntur honores,
Non bene pro toto libertas venditur auro;
Nec satis est: vita dicor pretiosior ipsa.
Numquam abeo, numquam irascor, sed sæpe repulsa
Pervigil ante fores vos deseruisse dolebam.
Ut demum ingrediar mihi jam concessa facultas:
Arripite hanc vobis (quæ nunc venit obvia) sortem; 
Felices ego vos reddam; vos vivite mecum.
Talia dicentem, sed dicere plura parantem
Expellunt Juvenes; manibus pars continet aures,
Pars alia injecit fugitivæ in colla catenas.
Atque aliquis: Te Numen (ait) mortalibus ægris.

In-

Indulſit, rectos conceſſum munus in uſus.
Munus eras pulchrum, at ſenſim dum noſtra fuiſti
Forma abiit; cum grata tamen ſis victima cælo,
Vincta jace, teque ad ſacras mactabimus aras:
Vincta jace; tibi (ſi neſcis) dant vincla decorem;
Munus eras purum innocuum, quin Numine dignum;
Flumen inexhauſtum meritorum, & vena perennis,
Per quam magna homines acquirere præmia poſſent:
Oh vellent utinam! at vitii maleſana libido
Tecum una junxit faciles in fœdera dextras;
Namque ubi primus homo cæleſtia ſpernere juſſa
Auſus inoffenſis oculis decerpere pomum
Vidit, & oblatas uxorius accipit eſcas,
Nec guſtare timet; ſenſus in corde rebelles
Senſit, & inſtabilem miſera vertigine mentem.
Tum prona in vetitum rectoque averſa voluntas
Evaſit vinclis ſeros læſura nepotes.
Ortus & eſt vermis, qui pectoris intima rodat;
Quem facile eſt nobis vita privare, fovemus.
Tot mala ceu Regina potens, atque arbitra rerum
Sola potes cohibere; addis tamen improba calcar,
Unde opus eſt te ſacrilego petulanter abuſu
Bacchantem frænare jugo, ſeu ducere vinclis.
Ducere qua recto revocat nos tramite numen:
Hæc ubi dicta, ſacras properant reverenter ad aras,
Et genua inflectunt Divinæ ante ora Parentis,
Atque voluntatem renovato obſtringere voto
Secum una ſtatuere, ut dein quocumque ferantur,
Dum plures ita contigerit ſimul eſſe ſodales,
Præſulis in reliquos partes exerceat unus;
Utque etiam præſcripta ſuis ſint tempora rebus,
Quæque ſub auſtero foret optima norma magiſtro
Servetur, quamquam a charo ſit quiſque ſodali
Disjunctus, vitamque obſcuro in carcere degat.
Forſan carcer erat, ſeptemque decemqne tenebat
Illa duplex non magna domus, ſed nulla timentur

Quæ

Quæ mala & ærumnæ tangunt ignobile corpus.
Quinta dies jam menſis erat, cum turba virorum
Plurima Guſmanas lentum comitatur in ædes
Prætorem; ut teſtes adſint, ut ſenſa miniſtrent,
Ut ſcriptis reſponſa notent, ponduſque monenti
Et decus officio, & vires rationibus addant.

Ah, Juvenes, inquit, quibus eſt fortuna parata,
Accipite hæc animis, neque erit revocabile damnum,
Quod feret incautis præceps ſententia verbis.
Jeſuadum ſoboles numquam reditura paternis
Sedibus excedet; cenſus ſed cuique notatur,
Ne pereat miſer ignota peregrinus in ora.
Nulla tamen vobis, ut Rex alimenta miniſtret,
Jura favent, quos caſtra probant, qui caſtra probatis.
Militiæ nondum adſcripti; deponere veſtem
Si placeat ( neque enim veſtra eſt ) patrioſque penates
Incolere, inviſa maculas in veſte relictas
Diluitis, claros laudabit Iberia cives,
Et vobis ſervantur opes nativaque jura.
Sed ſi forte ſequi eligitis quacumque ferantur
Jeſuadas, mille impetitur ſors veſtra periclis.
Cogitis ut reliqui vobis de paupere victu
Suppeditent; præſcripta uni cur eſca duobus
Quæritur, & certos quis vos modo reddit, ut inter,
Hanc gentem ſtabiles longum maneatis in ævum?
Difficiles aditus, facilis tamen exitus omnes
Spe dubia exagitant; duplex poſtquam effluit annus
Intus adire licet, ſed adhuc ſervantur apertæ
Per tria luſtra fores; quæ nunc exuta decori
Veſtis erit, quas heu curas, quæ damna minatur!
Si patrios fines & dulcia linquitis arva,
Perditis & dulces fratres charoſque parentes,
Quos nunc diligitis, quos longo noſcitis uſu,
Hoc cælum, hanc auram, hos campos, has perditis urbes.
Heu miſeri mundo ejecti ſine ſede vagantes
Ibitis exigua Latii vix parte recepti,

Ibitis ipſorum forſan ludibria fratrum.
Dixerat, & Juvenum placuit reſponſa ſeorſim
Quærere, ſed firmos miratur pectore ſenſus,
Idem omnes ſimul ardor agit: quid plurima jactas
Damna, ajunt, dubiæ quid mille pericula ſortis?
Ibimus, & nobis ſi tecta & pabula deſint,
Aere ſub nudo primi vixere parentes.
Non deerit patula quercus, vel populus umbra
Arceat ut ſolis radios ventoſque furentes:
Strata dabunt paleæ, fons ſuggeret obvius hauſtum.
Tum qui paſcit aves, campos & lilia veſtit,
Quidquid opus fuerit (neque enim ſua munera differt)
Non renuet nobis larga diffundere dextra.
Curat aves, curat terras, nos pluris habemur.
Quid bona diſſuades peritura amittere? Numen
Quærimus, & quidquid numen quærentibus obſtat
Non reputes damnum, ſed magnum amittere lucrum.
Quid durum exilium & patriam minitaris ademptam?
Tu quoque, ſi neſcis, Prætor, modo diceris exul:
Una homini cælum patria eſt, & nulla viator
Linquere regna dolet, ſi, quo vult tendere, tendat.
Gens mundo peregrina ſumus, ſed valle dolorum
Parva mora eſt; manet æterno ſeu carcere luctus,
Seu chara in patria ſtabili gaudebimus ævo.
Aſt habitus, quos nunc tanto ſervare periclo
Nitimur, in latiis amittere poſſumus oris?
Sors meliora ferat, nullum ſit in omine pondus!
Heu! nobis ea culpa foret tribuenda, ſupremo
Sed tamen interea Domino placuiſſe juvaret.
Oh mihi præteritos numen ſi redderet annos
Queis non cognovi, vel non cognoſcere finxi
Fallaces mundi illecebras, fallacia mundi
Gaudia, quam citius foret hæc mihi veſtis honori!
At tu, ſancte Parens, teneram Loyola Juventam
Auxilio dignare tuo; ſuperare procellas
Vix portu egreſſis præſenti numine donas;

Da

Da quoque venturas nautis evadere syrtes.
Talia dicta dabant plures nunc unus & alter;
Sed cum posse aliquem spoliari veste sodalem
Sorte infelici memorant, uno ore simulque
Conclamant juvenes ( dum vestibus oscula figunt,
Dum madida in teneros erumpunt lumina fletus )
Hæc nobis hæc vestis erit, dum vita manebit
Indivisa comes; non hæc post funera corpus
Deseret, hæc sensim consumi membra videbit,
Hæc nuda obscuro comitabitur ossa sepulchro.
Jam satis, oh juvenes, dicit, vel dicere Prætor
Conatur, nutuque addit, sensa omnia novi,
Quæ si visus eram damnare, ut jussa peregi
Conticeo. hinc teneros abscondit pollice fletus,
Disceditque virum tacita stipante corona.
Septima jam roseo surgens Aurora cubili
Lacteolo irrorat lætantia gramina succo,
Et solem properare monet, cum tecta jubemur
Hospita deserere, & proprias revocamur in ædes.
Non ego, quæ nostrum mulserunt gaudia pectus,
Quamvis eloquium longas fluxisset in horas,
( Ah crede experto! ) potuissem exponere dictis.
Ceu cum forte redux in patria rura viator
Flectit ad ignotos sinuosa ambage recessus,
Itque reditque anceps, tantum spelæa ferarum
Prospicit & spissas densa caligine sylvas;
Inclinata dies languet; jam gratia rebus
Et color aufertur, misero jam cuncta timorem
Incutiunt: sed dum optatam contingere metam
Desperat, se nativæ observata repente
Objiciunt latera ampla domus, quo proxima ducit
Semita, jam vultus noscit vocesque suorum:
Gaudet ovans, recreatque animos inopina voluptas.
Haud aliter depicta hilari solatia vultu
Aspiceres, longe cum dulcia tecta videmus;
Oscula jam foribus properamus figere, & intus

In-

Ingreſſi ad ſacrum convertere lumina templum:
Lumina, nam greſſus alio duxere cohortes.
At te, Virgo Parens, venerari cominus ara
Interiore datur, noſtrum renovamus amorem,
Delicias animi; ceu vota emiſerat olim
Auſpiciis Loyola tuis, emiſimus omnes
Ante diem, ſed ut æternum ſint firma, rogamus.
Hæccine, dicebam ( vacuas dum cernimus ædes )
Tantorum Heroum ſedes fuit! heu quibus illa
Hoſpitibus turpata horret! dum talia mecum
Evolvi, ſi ductor abeſt, abiere ſodales,
Obvius exclamas nobis, dulciſſime Thoma,
Ibimus, & ſociis alio jungemur in orbe,
Qui ſocios negat eſſe viæ, dabit eſſe laborum.
Quam lætus, Thoma illuſtris, tua nomina promo!
Sæpe tuos monitus memoro, tua mente revolvo
Conſilia exemplo potius quam tradita verbis;
Namque humilis ſemper, placidus, timiduſque loquendi,
Cuncta pati gaudens, & nil tibi fidere miro
Oſtendens animo, generoſior omnibus idem
Doctus eras laudare alios, tibi ſumere curas.
Tum medias inter turmas diſcedere Tunca
Cogimur: ad circum præcinctam montibus Hondam
Longa via eſt, ſed iniqua ſolo atque aſperrima ſaxis
Longior efficitur, qualem decet exulis eſſe:
Quadrupedum male tecta cohors dat præpete curſu
Difficiles ſuperare obices; tollnntur in altum
Culmina, & horribiles nemora inter agreſtia rupes.
Credidimus ſuper aſtra vehi, atque aſcendere murum
Cum vel ſaxum ingens, vel ſeſe objecit acervus
Saxorum, hic vaſtæ decurrunt Magdalis undæ:
Nos cymba excepit; nova militis ora tueri
Contigit, atque vices turma ſubeunte prioris
Cingimur; aſt animæ potior pars reddita nobis;
Nam charum dedit Honda patrem, dedit Honda ſodalem;
Qui nuper virtutis erat morumque magiſter.

Nau-

Nautarum ſtrepitus, graciliſque anguſtia cymbæ
Humida nox, ſoliſve ardor, ſive impetus undæ
Tædia nulla ferunt, totam novus occupat hoſpes
Curam animi, nec jam Tuncam amiſiſſe dolemus.
Nec mirere tamen; juvenes, quos, Borgia, cernis,
Vix duplicem numerant claro ſub præſide menſem,
Ille dies octo atque illos Europa recenter
Miſerat, unde novem bis tantum cernere luces
Tunca dedit, mirumque omues acquirere robur
Lætantur: tantum potuit doctrina magiſtri!
Heu miſeri, quos Sancta Fides ad magna paratos
Prælia conſpexit; quid vos ſuperare viarum
Tædia, quid pelagi inſultus ventoſque furentes
Suſtinuiſſe juvat? parat ultima meta coronam;
Nec ſatis eſt viciſſe prius; vos jam prope metam
Dividit a ſociis lenti vis improba morbi,
Hæc documenta ducis, monituſque audire potentes
Impedit; hinc veſtem ſi reddere cogitur hoſtis,
Alter erit, qui palma hoſtis gaudebit adepta.
Jamque aliam Mompos cymbam, pulcherrima Mompos,
Fertile qua flumen ſinuoſo extenditur alveo,
Præparat, & ſalſas læti properamus in undas.
Menſis abit, jam menſe alio prope noctibus æqui
Bis tredecim fluxere dies; & divite portu
Se nova Carthago tandem venientibus offert.
Namque ubi per lævam declinat Magdalis oram,
Denſa quidem, non alta videt frondeſcere circum
Nauclerus nemora, atque herbas fluitare paluſtres.
Huc longe tranſmiſſa lacum maris efficit unda,
Quæ nobis ſuperanda fuit: jamque oſtia monſtrat
In latos expanſa ſinus; faciliſque profundo
Excipere Hiſpano venientes littore claſſes.
Nobilis urbs Libycæ Carthaginis æmula ſurgit,
Nomine digna pari, priſcoſque inſtaurat honores.
Urbs regni prima illa novi, qua barbara tellus
Sublime ingenium generoſi noſcit Iberi.

Pars liquidas proſpectat aquas, pars arce ſuperba
Obſervat pelagi inſultus, aditumque tuetur.
Tum mihi ( dum placido languentia lumina ſomno
Compoſui ) viſa eſt Divæ ridentis imago,
Quamquam an Diva foret dudum male credulus hæſi,
Inſolita ſpecie admonitus; nam fulminis inſtar
Ipſa globo inſiſtens agitata volubilis audax
Itque reditque, locum ſed non habitura priorem.
In faciem longos vidi fluitare capillos;
Forſan erat cæca, aut oculos jocus ille tegebat;
Undabat tremulo veſtis circumflua vento
Et tamen a tergo calva & ſpoliata videtur;
Alæ inſunt pedibus, quamvis non utitur illis
Ingenita virtute agilis; rota ſemper in orbem
Mobilis it læva, ut gaudent affigere ligno
Oblongo pueri ventoſque laceſſere curſu.
Omnia plena metu, aut nimium puerilia novi:
Dextra favet tantum; hic pleno dat copia cornu
Quidquid amant homines; large effunduntur honores
Divitiæ tituli faſces togæ ſceptra coronæ.
Diſplicuit mihi forma Deæ, neque dona placebant;
At ſua dona tamen mihi diſplicuiſſe probavit.
Sum Fortuna, inquit: votis exoptor anhelis,
Et mea mortales ſine fræno ad munera currunt.
Nec ſatis agnoſcunt mea munera, quæ ſibi quiſque
Præcipiti quærunt animo; quos æquus amavit
His meliora Deus, manſuraque præmia ſervat,
Ipſa ſuam Divina adhibet me dextra miniſtram,
Quamque vides formam, ſtulti finxere poetæ.
Non mihi, ſed ſuperis adverſa & proſpera, Caſtri,
Attribuas: ſic cuncta tibi felicia reddes;
Quæque tuos ſocios Hiſpano a littore vexit,
Tecum ipſos ad littus idem vehet; huic ego navi
Auſpicium nomenque dedi; digna ipſa locari
Aſtra inter, falſum jam Theſſala pinus honorem
Deponat; pelagus ſecat hæc melioribus auſis.

Mole

Mole quidem tenuis vix tot capit hoſpita nautas,
Nam bis ter ſeptem centumque adjunge ſodales,
Vela dabunt totidem, duplicique in nave ferentur;
Octo tamen vicibus ( tot enim fert maxima navis)
Undecimum numerare juvat; qui deinde ſuperſunt
Vobiſcum anguſto dudum claudentur in alveo.
Septima poſt decimam cum lux effulſerit axe
Menſe novo, iratis committes carbaſa ventis.
Nec navis, ſed carcer erit: paſſimque ſubibit
Anguſto gens clauſa loco fera damna ſalutis.
Heu mortem aſpicio, quæ falce minatur adunca
Immittitque febres, cogit mala pectoris hoſpes.
Flare, reflare mora exigua ſæpe improba tuſſis,
Jam macilenta lues graciles depaſcitur artus,
Nulla placent alimenta, caput vertigine nutat,
Membra dolent; procul ecce duos gravioribus annis
Exhalare animam video: tu dives Avana
Tu portus longe ante alios pulcherrimus omnes
Extinctum in liquido tumulari marmore cernes
Tyronem; nam dum menſis mediuſque ſubinde
Labetur navem ferro retinebis adunco.
    Attamen, o juvenes, quos nomen amabile Jeſu
Condecorat, labente anno lux alma recurret,
Qua Deus ipſe olim noſtras deſcendit in oras;
Tunc etiam in veterem navis vos deferet orbem,
Voſque duplex menſis pelago obluctante videbit
Immenſas ſuperare vias, rabidoque minarum
Turbine ſeſe oculis ( ubi monſtra natantia terrent )
Objiciet tantum cælum undique & undique pontus;
Pontus atrox motu, tetra caligine cælum.
Proh quam terribiles denſantur in æthere nimbi!
Una Euruſque Notuſque ruunt tumiduſque procellis
Africus, & rapidos volvunt ad ſidera fluctus:
Jam toto reboant metuenda tonitrua cælo,
Et late obſcura creſcunt a nocte timores.
    Nec ſatis hæc; vos tanta premet penuria victus,

Ut famis una dies ferret ſuperaddita mortem.
Nec tamen Hiſpano dabitur requieſcere portu:
Vos nova bella manent, majora pericula reſtant.
O fortunati juvenes, queis talia numen
Præparat, eque ſinu vobis ea munera mittit;
Nam ſibi pene pares ſimileſque per omnia format.
Præſta animis, Loyolæ acies, generoſa juventus:
Longa tibi exilia & vaſtum maris æquor arandum;
Nam primum te ſpectat Iber, tum nobile ſacri
Imperii caput aſpicies, ubi Lydius arva
Inter opima virum leni fluit agmine Tybris.
Inde Apennini quæret pars maxima rupes
Tybridis ad cunas, qua ſcinditur Umbria lætas
Fertilis in valles; pars altera longius urbes
Æmiliæ quæret, comitumque videbitis ora.
Dixerat, in ſpeciemque abiit mutata decoram,
Et vera inceſſu patuit Dea. tunc ego charos
Amplector fratres, juveneſque ex ordine primum;
Namque aderant propius, tum quos venerabilis ætas
Condecorat, ſummuſque addit ſolatia præſul.
Vix mihi ſorte datum (præſul dulciſſime) tecum
Poſſe loqui; cuſtodum arcet vigilantia parvis
Greſſum efferre locis, quo nos ceu carcere ſervant.
Sed dolor heu nobis in portu crevit Avanæ;
Nam nave incluſi, nec voce aut indice nutu
Alloquimur ſocios, nec cernere poſſumus illos.
Non ego, quos pelagus cogit ſuperare labores,
Enumerem: tu vela Notis expanſa dediſti,
Borgia, noſcis iter; ſed te comitantur honores,
Sedulaque in mediis famulantum cura periclis.
Libera per puppim proram & tabulata vagaris,
Tranſtra parant ſedes, domus eſt bene ſarta cubile.
Quam diſpar nobis ratio! nos more reorum
Claudimur in parva ceu pondus inutile navi:
Impedit hic alium, ſi forte incedere mavult,
Ut caput acclinent comitum ſit culcitra pectus.

Tres etiam in mediis ſocios amiſimus undis;
Tertius heu periit Tyronum gloria! palmam
Si tulit ante diem, felix qui morte decora
Præceſſit, nobiſque animos ad prælia poſcit
Numinis ante thronum, & gaudet laudare ſodales.
Oh utinam ſemper noſtrorum quiſque miniſtret
Materiem laudi, & ſocii pia vota ſecundet!
    Hanc urbem ingreſſi qua nos modo, Borgia, cernis,
Novimus exortas gravius ſævire procellas.
Cernimus heu ſocios, ſed non amplectimur illos,
Agni biſque novem ſævo includuntur ovili;
Namque ita fas ſacræ clauſtrum appellare cohortis.
Proh quæ ſacra cohors, ( ſi tali nomine digna eſt )
Bella auxit? crudele jugum generoſa juventus
Excute, clamabant; Jeſu meruere ſodales
Grande decus; toto orbe diu regnaſtis, & ingens
Gloria Jeſuadum fulſit; ſed fraude potentes
Rerum avidos prudens hominum ſolertia novit:
Jam modo decreſcunt opibus; gemit Itala tellus
Illuvie injecta, & peſtem regna omnia vitant.
Millia jam duodena hominum ſine ſede vagantur
Nec vos militiæ veſtræ caput, agmina nutu
Qui regit, eque ſuis argentum poſcit & aurum,
Excipiet gremio profugos, aut ſumet alendos.
Si placet obſequium Domino præſtare ſupremo,
Et ſuadet mens caſtra ſequi, mutate cohortem:
Nam ſi veſtra cohors placeat magis omnibus una,
Infenſos Regi, cælo appellare rebelles
Convenit; in dubiis mens quod ſibi tutius optat.
Talia dicta dabant, ſed nec timuere ſupremi
Numinis intorto variare oracula ſenſu:
Multa addunt, miſcentque, at præſens ora reſolvit
Numen, & ignaram docuit reſponſa juventam.
Jamque octo juvenes, quos huc Paraquaria tellus
Miſerat, oſtendunt; ſed proh quæ gaudia noſtris
Proſiluere oculis! Certatim accurrimus omnes,

Et

Et duplici amplexu vivum teſtamur amorem.
Hos tam diverſa forſan regione profectos
Noſcitis? inquirunt: demiſſa ( reponimus ) ora
Noſcimus, hæc veſtis noſtros probat eſſe ſodales.
Tyronum nunc aucta cohors decrevit ab alto
Auxilium petere & precibus ferventius uti
Queis docuit Loyola modis: nova prælia poſcent
Deſuetos; juvat inde novas acquirere vires.
Annuit inceptis cælum; nam bella quieſcunt
Atque octo fluxere dies; tum veſte togata
Prætor adeſt, Præſulque loci, circum undique teſtes
Acciti, ſed enim primus tria regia præfert
Scripta manu recitanda palam, jamque ordine lector
Hæc ait: hanc veſtem ſiquis retinere tenaci
Conſilio ſtatuat, numquam rediturus abibit
Finibus Heſperiis; ſed ſi venientibus annis
Occultus redeat, plectetur morte ſceleſtus.
Quod ſi non diſpar mens eſt Tyronibus, ipſa
Scindatur veſtis, patriaque abſcedere curent.
Dixit & amotis aliis, majoreque natu
Ad ſeſe accito, quæ ſit ſententia Prætor
Inquirit; mea caſtra ſequi, charoſque ſodales,
Exclamat, diro exilio quacumque ferantur
Aut mortem oppetere, aut duros ſufferre labores.
    Obſtupuere omnes: ſacræ rabido ore cohortis
Præſul ait: quæ cæca animum dementia cepit,
Perfidus in ſuperos perges injurius eſſe?
Heu! miſere inſanis; vos cælum, & ſidera teſtor!
Sed Tyro ( nam Prætor adeſt ) reſponſa negavit.
Prætori pariter reliqui ſua ſenſa fatentur,
Namque omnes jubet acciri; cum deinde juventam
Alloquitur ſolus; proh quantum a Præſule diſpar
Quamquam veſte ſacra Præſul Prætorque profana
Indutus: Dum veſtra, inquit, reſponſa notavi,
Gaviſus vix non dulces expanſa levabam
Brachia in amplexus, ſed me prudentia juſto

Mixta metu, munuſque meum, & reverentia Regis
Invitum tenuere, eadem prope cauſa coegit
Præſulis inſultus vultu perferre ſereno.
Glorior ut Regi tam pace fidelis haberi
Quam bello; ſic vos Domino ſervate ſupremo
Conſtantes animos; duris conſtantia rebus
Noſcitur; hæc ductor ſummi Moderator Olympi
Militibus præclara ſuis exempla reliquit.
Non aliam decet ire viam; quaque ipſe præivit
Veſtro etiam calcare juvat veſtigia greſſu.
Nempe Ducem eligitis ... ſed jam taceamus oportet:
En nova turba venit; forſan me ſtulta monere
Æſtimat incaſſum atque avidas procul applicat aures.
Tum comites adſunt; Prætorque ad ſeria vultu
Compoſito excedit magna comitante corona.
Aſpice quam mediis afflet blanda aura procellis
Quo minus expectes; ſed numen amabile noſtris
Viribus æquat onus, cum frigore temperat æſtum.
Bis luna obltuit, pleno bis orbe recrevit,
Et poſitis ſiluere armis tentamina belli
Extera, jamque novem pubes Tyronibus aucta
( Dum variæ appellunt diverſo ex orbe cohortes )
Gaudet ovans; jam ter decies & quinque latenti
Jungimur exilio, a noſtris procul eſſe jubemur.
Exterus hoſtis abeſt; ſed bella domeſtica creſcunt
Majore inſultu: vos vos ætate minores
Dicite, quam tectis immiſtas fraudibus artes
Verſarunt cæli oſores! nunc dulce rogantes
Ceu partes miſerantis agant; nunc tollere vocem
Conantur; falſa enarrant modo nuntia, & acres
Non dubitant jactare minas; adhibetur & ore
Sacrilego in teſtem Pater Urbis & Arbiter Orbis;
Hinc ſuperum auxilia & cæli decreta negantur
Effluere in juvenes, cæloque reſiſtere clamant
Conſtantes Tyronum animos: a Præſide tandem
Amoti; at ſimiles amat hic ſibi ſumere curas!

Heu

Heu! bello victus, ſocios videt ipſe laboris
Subſtitui, & diro renovantur prælia niſu.
Finge animo pubem, quam non ſatis inſtruit ætas
Obſidione gravi preſſam: mirabile dictu!
Immatura annis, tuta dum credit in arce
Contra Erebi inſultus doctrinæ inquirere fontes,
Læthiferas ibi cernit aquas & toxica tantum,
Læta ſalutifero qua naſci paſcua campo
Debuerant; ſed qui vires animoſque miniſtrat
Inſtruxit mentem, & præſens dedit ore loquelas.
Aſt hoſtem laudare juvat de pluribus unum,
Qui victus dat ſponte manus, veniamque precatur,
Divinumque animum Tyronibus eſſe fatetur.
Ultimus & luces tantum qui viderat octo,
Tyrones dum Tunca ſuos gaviſa fovebat,
Ter dire impetitur, ter poſt certamina victor
Diſcedit triplici redimitus tempora lauro.
Forte illa ( ſuperi nam ſic voluiſtis ) in urbe
Tunc aderant vel amicitia vel ſanguine juncti,
Dulcia qui tentant, ſed non minus apta triumpho
Prælia; dumque alium monitis & flectibus urget
Frater, & antiqui nativo in rure ſodales,
Laurenti, patriis tibi fertur epiſtola tectis
Plurima, qua Mater lacrymas teſtata lituris
Conqueritur; Pater inſperſis attemperat iras
Blanditiis, fratreſque rogant, plorantque ſorores.
Littera pondus habet, quod dextra ferentis adauget;
Demulcentque animum voces, dum ſcripta leguntur.
Ceu medio ſtat fixa mari fortiſſima rupes,
Præcipites ridet pluvias & grandinis ictus,
Undarum aſſultus rabidos ventoſque furentes;
Haud aliter juvenis non prælia blanda ſuorum
Immotus non ille minas non miſta querelis
Jurgia dignatur tenero perpendere vultu.
Tempus erit quando uniti lætabimur, inquit:
Nam modo ſejungi, ut cælo jungamur, oportet.

Alter ait, quem tentat amor non diſpare bello:
Si lucremur opes, ſocios & gaudia mundi
Cum jactura animæ, lucrum quid inutile prodeſt?
Sic læti pugna excedunt, ſic neſcia vinci
Pectora conatus & tela inimica retundunt.
Menſis erat, quo ſolis equos cum Caſtore Pollux
Invitant, quondam majorum a nomine dictus,
Utque locus pateat venientibus æquore vaſto,
Transferri, cum dulce foret manſiſſe, jubemur.
Forte tibi lacrymas lacerato in corde moveret
Cernere tot juvenes non vili ſtipite natos,
Arma inter dirosque equites, quaſi flebile vulgi
Opprobrium, dorſo impoſitos gradientis aſelli
Non pigro quæ ſtrata ſolent accomoda dorſo
Aptari, ſed quæ poſſint augere laborem
Exulibus, plebemque ad riſum accire, parantur.
Sic nos Aſta videt, ſed primo in limine Prætor
Obvius occurrit, multaque indagine fingit
Nos potuiſſe fuga cuſtodum illudere curas.
Ter, quater enumerat, proh quam diverſus ab illo
Quem primum Tuncæ, quem portu vidimus iſto!
Qui cælum mutaſtis, ait, mutate tenaces
Propoſito meliore animos. Quacumque jubemur
( Diximus ) ire juvat; ſed mens fortiſſima nobis
Semper erit; Deus ipſe animi ſibi jura reſervat:
Vos, inquit, noſco; tot veſtra ſuperbia pœnas
Attulit, hanc lapſis prædixit Borgia ſæclis.
Nomine prolato dignum reverenter honorem
Præſtamus, ſubituſque horret mendacia pallor.
Nec mirere tamen ſi dira infamia natos
Dilacerat: magnos roſit prius ipſa parentes.
Jamque urbem ingredimur; nos hinc convicia riſus
Et jocus; hinc laudes lacrymæ gemituſque ſequuntur
Forte aderat ſacra pietatem in veſte profeſſus
Turbam inter, quæ denſa altis effuſa feneſtris
Accurrit; Matrona habitat ſpectabilis ædes;

Hanc

Hanc vocat: infernas furias juvenilibus annis
Tartareos mirare Canes. Matrona loquentem
Horruit, eque ſuis ſubito diſcedere tectis
Juſſit, & audacem dictis compreſſit amaris.
Hic iterum quamvis mecum pars maxima perſtat,
Dividimur; ſocioſque timens excreſcere Prætor
Sollicitus ſæpe enumerat; ſi forte timeret
Imminui, nos forſan adhuc numeraret, & anceps
Noſtra recenſeret revolutis nomina chartis.
Bis tredecim uniti ſacras habitavimus ædes:
Cuique domus parva incolitur, ſed nulla ſupellex
Adjicitur, nec quæ miſeris præſtatur egenis.
Sive lucerna tamen, ſedes, aut menſa negatur;
His caruiſſe parum eſt: nobis graviora ſuperſunt
Ancipiti volvenda animo; tu Borgia vires
Suffice, verba hærent, & mens meminiſſe recuſat.
Jam Deus Omnipotens hominum ſuccenſus amore
Rebus in anguſtis ſolamina certa paravit
Allatura reis veniam, per iniqua locorum
Diſperſis normam & vitam mortalibus ægris.
Nam quinque expreſſit proprio de ſanguine fontes,
Elegitque viros, qui ſola voce fluenta
Dirigere, & tanto auxilio ſuccurrere poſſint,
Dumque vices peragunt ſupremi numinis, aures
Porrigere, & monitu pietatem urgere tenentur.
Aſpice quantum illis numen committat ab alto!
Ut cælum reſerare, & claudere Tartara poſſint!
Tantus honor, tanta eſt homini conceſſa poteſtas!
Sed cum præberent bibulas poſcentibus aures,
Supplice dum vultu flexi commiſſa fatemur,
Verba interrumpunt: ſtulti majora tacetis
Crimina, nec ſacras permittam accedere ad aras;
Namque ibi Divinum ſub panis imagine Corpus
Vita ſalus alimentum animæ, ſed corde paratis
Sincero affertur; ſcelus eſt retinere tenaci
Conſilio veſtem, quam Rex, quam jura repellunt.

Volve animo ( quod nuper idem tibi, Borgia, dixi )
Volve animo pueros, timida qui mente ſupremum
Numen amant, rerum ignaros, formidine quaſſos
Interna, quæruntque viros gravioribus annis,
Quos vitæ ratio & rerum doctrina decoret,
Ut doceant rectam ire viam: qua limpidus humor
Excipiendus erat, proſtat lethale venenum:
Sed tamen auxilio Deus aſtitit; irrita jactant
Tela, licet longas bellum protendere in horas
Inſudent, nos alma quies, furor occupat illos.
Quamquam omnes ferus ardor agit, tamen unus & alter
Juſta monet, reliquoſque dolet tam ſtulta profari.

Tum placet ex noſtris quamquam juvenilibus annis
Elegiſſe Ducem, cui ſenſa interna pateſcant,
Noſque per obſcuras prudens regat arbiter umbras:
Conſilium Deus ipſe dabit, quod denegat ætas.

Nos patuit Ductore regi; Prætorque monetur,
Qui ferus in juvenes Ductorem avellit, & omnes
Admonet, ut tandem quæ ſit ſententia mentis
Conſtituant nullo poſthac revocabilis ævo:
Tunc fraudes crevere domi, tunc hoſtis abuti
Numine, ſacrilego pergit violentius ore.

Illuxit præſcripta dies, cinctuſque miniſtris
Prætor adeſt, alioque vices ſubeunte prioris.
Nomine quemque ſuo vocat, atque abeuntibus aulam
Deſtinat a reliquis ſejunctam, hortumque propinquum.
Forte ibi conceptos alterna voce labores
Solamur, ſociiſque extremo in agone timemus:
Atque aliquis ( ne bella fero in diſcrimine ceſſent )
Quid nova ſemper, ait, tanto molimina niſu
Verſatis? quid conſiliis corrumpere mentes
Pergitis unanimes in mutua damna viciſſim!

Aſt heu noſtra cohors luxit ſpoliata duobus
Luxit ſancta Fides, neque eos ſuſceperat umquam
Tunca ſinu; tu chare comes, qui ſcripta tuorum
Spreviſti, nova ſcripta manu delata potenti

Excipis indignans, urgetque domeſticus hoſtis.
Te Deus officio famulantem, & nomine fratrem
Elegit ſocios inter; ſic unica virtus
Inſtruxit docilem, ſed non ſapientia mentem;
Et tamen in doctos victor ſapis. Eſt tibi parvus
Mole liber, ſed magna intus documenta recondit:
Kempis nomen habet, nomen ſuus indidit auctor,
Loyolæ quondam aſſiduus liber extitit inſtar
Multorum: hunc clypeum, quo tela retundis & hoſtes,
Objectas, Kempiſque ſonat tibi multus in ore.
Forſitan in tanto poſitis diſcrimine rerum,
Borgia, quid noſtra excruciet mage pectora neſcis:
Emeritos ætate viros & munere claros,
Orbe novo miris celeberrima nomina geſtis,
Qui noſtram atque alias dudum ornavere cohortes,
Fama loquax caſtris amiſſa veſte ferebat
Diſceſſiſſe ſuis: quid non timeamus amantes?
Parcite: debueram veſtras cognoſcere vires
Conſtantemque animum, ſed tempora plena timoris
Imbuerant miſeras tetra formidine mentes.
Tum juvenis, qui noſtra ſequi vexilla petebat
Numinis influxu, noſtras pervenit in ædes.
Sum fratrem viſurus, ait; divertere cogam,
Dona animum expugnant, donis pro vocibus utar:
Mecum una renuentem in patria tecta reducam:
Ingenium juvenis, quamvis mendacia damnem,
Laudo equidem; dolus, an virtus quis in hoſte requirat?
Huic tamen auritos Prætor cum Præſule teſtes
Adjungunt, gaudentque novo committere pugnam
Milite, ſpes addit juvenis, quem Tarraco voces
Teſtibus ignotas docuit, ſed novimus ipſi
Cum patria exierit noſtrum pars major eadem.
Sic partes agit ille duas, ſic fallere doctus,
Ut quandoque aliquid ſubmiſſa voce valeret
Injicere, & dextra chartas afferre latenti:
Sæpe etiam actores ſcenam præbere jocoſam

Aſpi-

Aſpiceres; qua voce etenim Catalaunia ſenſus
Exprimit, Hiſpanis noſcis quæ forma loquendi.
Falſa quidem gravibus vulgabant nuntia dictis,
Qui juvenem obſervant teſtes, tum nutibus ille,
Hiſpanoque ſono firmat, dum patria miſcens
Verba dolum retegit: ſic vocibus impia notis
Jeſuadum vitia enumerat velamine tecta
Virtutum, vileſque monet reſcindere veſtes.
Arte tamen mira non ſolum dicta retractat,
Sed quam falſa omnes ſpargant ibi nuntia, monſtrat.
Seque loqui ignarum ſimulans, ſenſuque carentes
Immiſcere ſonos, lepido ſermone bilinguis
Non intellectis quandoque illudere verbis
Oſtentat, ſubmiſſa & voce ad Præſulis aures
Jactat ovans, Præſulque joco lætatur in ipſo,
Ignarus quam grata jocus, quam ſeria tractet.
Quin etiam obſervans Tyronum intenta loquenti
Lumina, laudavit juvenem ſuadere potentem:
Nam nil verba putat non intellecta referre;
Utque animos addat, ſuſcepto & munere doctum
Inſtruat, has alto fundit de pectore voces:
Macte animis, perge, & fratrem ne deſere frater;
Nam ſcelus eſt ingens non ipſa morte piandum
Inviſum retinere habitum; pia Numina vitam
Cuſtodire jubent; vos vitam amittere vultis.
Sic homini ſervandus honor; gens veſtra per orbem
Infamis, nec nomen habet, nec ſervat honorem.
Adde, quod æthereo ducuntur lumine reges,
Nec licet indagare ultra, ſed juſſa libenti
Excipere obſequio: at dura cervice rebelles
In regem in patriam perſiſtitis? oh fera mentis
Barbaries! miſere errandi ſcelerata cupido!
Sic regem laudare juvat, ſi forſitan ore
Laudatis, facto audetis confringere laudem.

Dixerat & noſtræ crevit conſtantia mentis,
Crevit amor juveni, ſi qua ratione valeret

Præ-

Præbere auxilium; caſtriſque ardentius optat
Jeſuadum inſcribi, & noſtri comes eſſe laboris.
Tartareæ videre acies nil fraudibus ullis
Nil potuiſſe dolo: Prætoremque agmine facto
Una adeunt, ſomno excutiunt, ac talia fantur.
Divide Tyrones; nimium conſortia reddunt
Audaces: nec ſæva omnes, ſed quemque ſeorſim
Bella petant; vix qui querulo præbetur egeno
Victus erit; tum finge alios mutaſſe cohortem
Damnatam nuper Romano a Præſule, & omnes
Infula quos ornat, poſtquam mala germina norunt,
Admonuiſſe ſuos; tum ſcripta legentibus offer
Jam vulgata typo, veriſque adjunge ſagaci
Ficta manu; juvenes digito monſtrabis euntes,
Quos vinces prope, quos finges viciſſe notentur
Eminus, ut notos ſimulet diſtantia vultus;
Hinc corvos adde in niveas migraſſe columbas
Nec ( velut ante ) nigro circumdare corpus amictu.
Hæc ubi dicta, ſacras adeunt tota urbe cohortes,
Heu dolor! inveniunt faciles ad juſſa miniſtros.
Sed plures ea juſſa horrent, documentaque temnunt
Præcipue quos Virgo Parens in imaginis umbra
Carmelo inſiſtens bicolori ſplendida veſte
Commendat, quos ſæpe ſuos vocat ipſa clientes.
Nos horum præſul verbis affatur amicis,
Et colit officiis, quos cuſtodire tenetur.
Quin etiam poſtquam victu tectoque caremus
Veſtibus exuti, victum tectumque parari
Juſſerat, & noſtros ſolatur voce dolores.
Quid referam innumeris repetitas fraudibus artes,
Quidve feros vultus, truculentaque verba monentum,
Et curas, queis quiſque ſuo timuiſſe ſodali
Cogitur? heu dirus rupit conſortia Præſul!
Quatuor hic ſocios, aliis quos addere robur
Conſtantemque animum novit, projecit in Arcum.
Nobilis Urbs memorare potes non diſpare cura

Sejunctos corde intrepido ſubiiſſe procellas.
Quin etiam dum mille locis, ut ſævius inſtent,
Sejungunt, ut nos lacerent crudelius hoſtes,
Heu miſeros ſæpe oſtendunt, qui turbine rerum
Seu vi, ſive metu, aut decepti fraude ſodales
Abjecto cecidere animo: pars maxima fletus
Diſſimulat, tremuloque premit ſuſpiria vultu;
Nec deſunt qui ſenſa hominum tam prava monentum
Confirment; non ingenio violenter abuti
Exhorrent, & veſtis amor cum veſte receſſit.
    Viderat ærumnis teneram Miſeratio pubem
Affligi, rapidoque urbem petit ipſa volatu:
Nam quas non habuit, celeres dolor addidit alas.
Læva dulcis adeſt Fletus, Cura anxia dextram
Occupat, inſequitur properante Induſtria paſſu.
Multa movens animo, atque oculos per ſingula volvit,
Ante fores Procerum Diva aſtitit; at ſibi clauſos
Indignata aditus, ferrataque limina novit.
Interdum facile ingreditur, ſed turba timorum,
Quæ jam ſæpe minas tota diſperſerat urbe,
Intus adire vetat; ſibi jam penetralia ſervat
Nomine quæ ficto vellet prudentia dici.
Tum Dea per calles vultu ſuccenſa madenti
Ingemit, atque preces lacerato a pectore fundit:
    Oh ſiqua eſt pietas, teneræ ſuccurrite pubi,
Clamat, ut a ſummo mereatis præmia cælo.
Forte ſtipem non inde procul poſcebat egenus,
Tranſit & juvenis Gallorum natus in ora,
Quin etiam Hiſpanus juvenis, ſed deditus aris,
Et quem pauperies cogit famulantibus addi.
Hos Dea, nam certant primi aſſentire vocanti,
Inſtruit, & tales edit lætiſſima voces.
Vivite felices cælo clariſſima quondam
Nomina, veſtra meis deſcribam nomina faſtis.
Sunt mihi dilecti juvenes, pars incolit Aſtam,
Pars Arcos; ſed quemque urget pia cura ſodalis:

Nam

Nam modo ſejuncti degunt, & ab urbe Meneſtei
Nuntia certa optant, ubi ſunt gravioribus annis
Emeriti, clarique Duces, & norma cohortum.
Nunc opus eſt, qui ſcripta ferat, qui ſcripta reportet:
Ite, redite hilares, & ego pia corda movebo
Interea, ut per vos argenti mittat & auri
Subſidium, veſtras comitabor proſpera curas.
Dixerat, & præſens monſtrat loca; cælite pectus
Igne urit, docilemque illuſtrat lumine mentem.
Forte ſenem juveneſque humili de ſtipite natos
Tanta putes non eſſe habiles ad munia? Numen
Senſa voluntatis, claros non exigit ortus;
Inſtrumenta adhibet, quæ nos minus apta putamus;
Ad ſua nec tantum magnos cunabula reges
Adduxit quondam, ſed ruſtica dona ferentum
Natus in orbe Deus paſtorum excepit honores.
Nec Diva abſiſtit; ſacras petit illa cohortes
Et ſenſim ad ſeſe plures trahit, en tibi noctu
Scripta cadunt, juvenis, quæ dum vir deditus aris
Mane videt, noſcitque tua cecidiſſe crumena,
Te vocat, & faveas oro Tyronibus, inquit,
Nam pietas hoc ipſa probat: ſed cautior eſto,
Namque tibi atque illis foret irreparabile damnum.
Hæc Diva audierat, nutuque expreſſit amorem.
Sic Divæ auxilio vigiles illuſimus hoſtes.
Nec mirum ſi ter decies & quinque fuerunt,
Atque hic bis tredecim tantum modo, Borgia, cernis;
Nam dolus ille quidem fuit arte potentior omni,
Jeſuadum cum fama tulit periiſſe cohortes,
Nec ſupereſſe aliquem, niſi ter numeraverit annum
Undecimum, majorque ævi pars acta fuiſſet
In caſtris. Gens ſacra Deo, gens neſcia fraudum
Arte ſibi ignota capitur; projecerat ultro
Divitias & opes perituraque gaudia mundi;
Quiſque animo abraſit notos & ſanguine junctos.
Ærumnarum avidus, vitæ contemptor, opertis
Vin-

Vincitur insidiis, neque habet victoria laudem.
Decipere ingenuum juvenem, non vincere jactent.
Mexiacam interea qui rexerat ante cohortem
( Jesuadum tunc reliquiæ pro Præsule norant
Omnibus amotis ) natos solatus amantes
Viscera patris habens, nunc hos, nunc scribit ad illos
Sedulus, & monitis languentia pectora mulcet.
Postquam sorte datum castris inscribere nomen,
Pars comitum major duplicem compleverat annum,
Quo nostra ante aras emittere vota solemus.
( Unus abest Arco, tredecim retinentur in Asia )
Vota quidem, per quæ numquam delebile castris
Nomen erit, nisi deleri scelera impia cogant.
Hæc venit a Marques pubi concessa facultas.
Ille etiam intentus seriem reparare malorum,
Prætorem scripto admonuit, non posse juventam
Fraudibus obstringi, nec sola veste mereri:
Sed jam sponte Deo firmis in sæcula votis
Obstrinxisse fidem, quam sacris voverat aris.
Ac veluti patrio spatiatus rure viator,
Dum gravidis cæpit densari nubibus aer,
Jamque improviso rutilans cadit impete fulmen
Ante pedes, neque adhuc comitata tonitrua sentit,
Horret inops animi, gelidusque per intima currit
Ossa timor, fugit ore color, crinesque rigescunt,
Et tamen illæsus flammam videt ire trisulcam.
Haud aliter dum scripta legit furibundus & anceps
Hæret in obtutu Prætor, tum scripta revolvit
Lecta relecta oculis, sacras petit inde cohortes
Nescius ipse sui, dubiusque exponere rerum
Eventus, juvenes quærit, qui voce diserta
Se non esse suos ajunt, & vera fatentur.
Obstupuit Prætor, regalique urbe ministros
Consuluit: hi nigra spoliari veste cohortem
Decernunt, & nil cælo promissa valere.
Nos majore tamen cura disjungere Prætor
Con-

Conſtituit, dum per duplices regalia menſes
Decreta expectat; ſed jam Miſeratio noſtrum
Provida in auxilium juvenilem inſtruxerat auſum.

Septima lux tandem menſis, quo clauditur annus,
Orta polo: ſacras properare jubemur in ædes.
Forſan in hanc urbem nobis quæ Diva favebat
Præceſſit: non Aſtæ illam conſpeximus ultra.
Ædes quiſque petit juſſus; deponere veſtem,
Dilectam nobis veſtem (ſed dicere plura
Impediunt lacrymæ) potiuſque abſcindere cogunt.
Tot vultu intrepido juvit ſuperare labores:
(Hic labor expreſſit lacerato e pectore primos
Singultus, adduntque oculi ſua ſigna doloris)
Exuimus veſtes, multoque inſperſimus imbre;
Oſcula in exutas damus, amplexuque tenemus!
Nec ſatis eſt: magnos tandem celebrare triumphos
Oſtentat gens ſacra Deo, veſtemque profanam
Induere ante fores tritoque in calle jubemur
Mordaces inter riſus & dira procacis
(Adfuimus teſtes) inter convicia plebis:
Nec proceres aberant, qui nos damnare videntur
Ore gravi, teneraque inſultant voce puelli,
Quaque juvat revocare gradus, nos pone ſequuntur.

Felices jam parte aliqua, quia compede fracta
Poſſumus eſſe ſimul, primaſque intendimus iſto
In portu traxiſſe moras; hinc noſtra ſequemur
Agmina, & amplexu ſociis jungemur amico.

Ruſticus accitur, (neque enim cognoverat ante
Jeſuadum juſſu acciri) cui noſtra ſupellex
Tradita, ut ad portum pacta mercede vehatur.
Horruit, hinc duplex in tecta domeſtica plauſtrum
Pellit, & ad ſtygias ſecum ſua devovet umbras,
Si talem aſpiciat venturo in tempore peſtem.
Mitior eſt animo, nec ferre auriga recuſat
Exuvias inopum, quamquam ipſe haud talia vidi,
Nec populi inſultus ſociis abeuntibus hauſi,

Nam prius in portum quærens habitacula veni,
Conduxique domum, qualem decet exulis eſſe,
Non qualem modo juſſiſti generoſa parari.
Sed numerare tamen, bene quæ numeramus amantes
Tempora, ſollicitus colles & rura petebam
Obvius, atque horas, imo & momenta notabam.
Tum quoque fama loquax mihi ſpem crudelis ademit
Viſendi ſocios; quamvis fallacia vulget
Nuntia, ſemper amor res eſt agitata timore.
Anxius heu quoties fudi ſuſpiria cælo!
Heu quoties maduere genæ! dolor ipſe coegit
Impaſtum tranſire dies, producere noctes
Inſomnem, & miror ſupereſſe in corpore vitam.
At charos tandem (dulce eſt meminiſſe) ſodales
Proſpiciens celer accurro, jam brachia tollo,
Inque humeris vultus flexa cervice recumbit;
Inde brevem unitis placuit captare quietem,
Indidit ipſe labor, quos non fecere calores
Solis equi; tremulos quatit æger anhelitus artus,
Et feſſis ſudor talos deſcendit ad imos.
Huc tandem ingredimur, magnis ubi Numen ab alto
Inſtillat pietatem animis, ubi pectora ſummo
Digna polo veteres prohibent meminiſſe labores.
Atque ego ſi mentes tantum ad ſublimia natas
Exiguis tenui factis, vos indice vultu,
Vos placidis oculis trepidantem & adire timentem
Cogitis ulterius ſeriem protendere rerum.
At vos ipſe operum clara inſtrumenta ſuorum
Eligit Omnipotens; per vos Divina cohorti
Dona favent, ſic vos decuit cognoſcere belli
Eventus; veſtris committunt numina curis
Nos procul Heſperia victricibus addere caſtris.

*Finis Libri Secundi.*

# HEROUM

## LIBER TERTIUS.

INclyta ſic Heros intentis omnibus unus
Geſta renarrabat comitum, curſuſqne docebat;
Conticuit tandem, factoque hic fine quievit.
At clara aſtantum ſignis, ac voce corona
Applaudit, lætoque obmurmurat aula ſuſurro.
Tum fixis ſiluere oculis, mirantur amorem
In ſuperos, conſtanſque infracto pectore robur:
Et prole eximia gaudent noviſſe parentem;
Multa animo virtus juvenum, multuſque recurſat
Gentis honos; hærent infixi pectore caſus
Innumeri, tot ſigna Dei manifeſta juvantis.
Quæ ſedet in placido demiſſa modeſtia vultu,
Et pietas flore ætatis matura notatur.
Artes ſecum una verſat dum quiſque juvandi,
Borgia ad unanimes loquitur: dlmittere claros
Cogimur Heroas: ſaltem retinere liceret
Has modo relliquias, ſuperis clariſſima regnis
Nomina, quæ cælum magnos ( nec fallor ) ad auſus
Præparat; at tuta peregrini in ſede morentur
Ut merita exilio cumulent, natuque ſequantur
Majores Italis in finibus; heu quibus illi
Errarunt acti furiis maria omnia circum!
Omnibus expulſi, nulla ſtatione recepti!
Sic Deus interea laxis permiſit habenis,
Mille modis probat ille ſuos; decreta vereri
Occulta, & placitis opus eſt ſubſcribere Divum.
Vidi ego Tartareas furias pernicibus alis
Innumeris volitare locis, & ſcripta ferebant
Neſcio quid teneræ fatale minantia pubi,
Hinc fluctus quatere, & portu divellere naves;
Naucleros terrere dolo, ne forte juventam

Regibus invisam, ne pestem gentis Iberæ
Excipiant; dispersa brevi gens ista sodalem
Non iterum aspiciet, clamabant ore trifauci
Et vultu eructante ignes, patria arva reviset,
Carcer erit nativa domus, pater ipse subibit
Injunctum custodis onus; proh quam impia sæva
Jactabant verba in superos! sed Numina vincent;
Nostra opera vult cælum uti; jamque ipsa beatam
Me reor esse, libens cæli si vota secundem;
Quodque opis est nostræ peragam: dulcissima pubes
Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum;
Nostrum erit instanti te subtraxisse periclo;
Exilii pia causa erimus; mora nulla retardet,
Sollicito stat fixum animo non parcere curis,
Non opibus; qua cælum urget, qua Numina ducunt,
Ibitis, & socios terra cernetis Eoa.
En prope portus adest, properate, ascendite naves,
Tollite ferrum undis, date vela, impellite remos
Eja agite, obtentum jam mens præsaga triumphum
Frustra Erebo obluctante canit, jam verrere pontum
Vos tueor, media inflantur jam carbasa, puppem
Impellunt Genii, placidaque Favonius aura.
Tu mecum interea præclari sanguinis hæres
Nec minus eximia fulgens pietate Joanna,
Sume pares curas; tibi Numina sacra dederunt
Non animis, sed me fulvo superare metallo,
Et clarum ornarunt ad gesta illustria pectus,
Vos quoque quos tueor cæli instrumenta benigni,
Et quibus Oceano errantes cognoscere nautas
Sors dedit, huc celeres, precor, omnem intendite curam:
Nocte sub hac, cymbam dabitur si forte parari,
Mittite quos pelago suspiria nostra sequentur.
Quodque parare nequit tempus, supplebitur auro.
Sed si forte dies dilectam crastina pubem
Servet adhuc, quæ rure domus mihi surgit amæno
Delitiæ sole æstivo, & cum frigora serpunt,

Se-

Secluſo latitat non obſervata receſſu
Opportuna tamen, ( ſalſis neque diſtat ab undis )
Hoſpitium extremum ſit diſcedentibus; illinc
Optatos latices, & plura alimenta parabo
In plures ſervanda dies; quæ parva ſupellex
Exigitur nautis cura jungetur eadem.
Tuque Joanna dabis veniam, ſi paupere ſumptu
Craſtina diſponam propriis jentacula curis.
Quamquam ignara eſcas condire, apponere flammis
Hæc propriis manibus ſit ſaltem extrema laboris
Cura mei; tum menſæ adero, ut ſtudioſa miniſtrem,
Atque hauſtus, calices, diſcos, & fercula promam;
Sint quamquam inviti juvenes, ego cedere cogam.
Hoſpite Divino ſi quondam Martha vocatur
Sedula, par ſtudium Jeſu meruere ſodales.
Quin etiam ipſa domus, qua diſceſſura juventus
Extremum accipiet noſtri vectigal amoris,
Nomina venturos dudum ſervabit in annos
Auratis deſcripta notis. Dum talia fatur
Clam ſimul ad ſocium tacito Vincentius ore
Muſſitat, atque undis ſolem notat eſſe ſepultum.
Quamquam aderat tamen adverſa ſtatione Joanna
Audiit, & placido ſubriſit conſcia vultu;
Atque ait: o decus Heroum, & genuina propago
Borgia, ſume animos; multum tua vota valerent,
Ut cito quæ noſtris commendas ſedula curis
Perficienda forent; ſed non cælum urget ab alto,
Increpat uſque moras, generoſum inſtillat amorem,
Inſtanteſque auſus, ſic dum majora paramus
Officium tu Matris ages; tibi ( clara juventus )
Quærere tecta juvat; neque adhuc ſol occidit undis,
Ut forſan domus hæc tenebris obnoxia ſignat;
Sed tamen interea ut Numen pia vota ſecundet
Sollicitas iterate preces; pugnabimus omnes
Contra Erebi inſidias: vos fletu & ſupplice vultu,
Nos opera & facto; feret optima cauſa triumphum.

Tum Petrum alloquitur ( paucis ſententia verbis
Exprimitur, ſed pondus habent ) mora nulla retardet:
Eja age, communes, inquit, tu ſuſcipe curas;
Quære ratem, nec parce auro, nec parce labori.
Per te crudeles fugiant mea viſcera terras.
Emicat interea toti quæ providet orbi
Cura Dei, ſed ſolicito commiſta labore
Gaudia dum ſpargit, dextram tegit arte faventem,
Augeat ut meritum; ſic ipſi adhibere monemur
Omnem operam, ſed nil noſtris confidere curis.
Petrus abit, littuſque petit, num vela daturos
Naucleros forte inveniat; plura exhibet auri
Pondera, ſi celeres impellant brachia remos,
Nec dubium expectet ventorum cymba favorem.
Anglus adeſt, navem oſtendit, jàmque anchora fundo
Eripitur; velis erecta antenna ligatur:
Fervet opus, latices, alimenta parantur, & ipſos
Nauclerus juvenes urget conſcendere navim,
Quodque abſint, queritur; ſed ad ipſos fulminis inſtar
Advolat ut Petrus ſucceſſu lætus amico,
Voce incompoſita ( ſic Di voluiſtis ) in ipſo
Egreſſu nauta accurrens promiſſa retractat.
Ac veluti dum foſſor opes per viſcera terræ
Scrutatur, fulvum longo ſudore metallum
Sedulus exquirens, ingenti pondere ſaxum
Scintillare videt, glebam excutit inde tenacem,
Et radios circum obſervat, pondusque coruſcum
Theſauro exultans in patria tecta reportat;
Sed comes accitus noſcendo doctior auro
Particulas vitro ſimiles, pretioque carentes
Admonet ex vili maſſam componere ſaxo.
Haud aliter Petrus dum jam felicia defert
Nuntia, ſpe nulla ſolari poſſe dolebat
Afflictos juvenes, & damna extrema timentes,
Quamquam aliis neque adhuc ipſis manifeſta paterent.
Jamque redux lentis incedit paſſibus, imo

Cor-

Corde tegens vulnus, quod ſigno prodit aperto
Triſte ſupercilium: aſt ultro ſeſe obvius offert
Nauclerus veſte hirſuta; ſed vultus agreſtis
Neſcio quid probitatis habet, gerit ille recurvum
Ore tubum, & ſugens fumum medicabilis herbæ
Ebibit, inque modum nebulæ cum vocibus efflat.
Siqui forte velint, inquit, Regna Itala & urbes
Viſere, parva quidem, at pelago tutiſſima navis
In promptu eſt, nec vana loquor, ſit libera tantum
Craſtina lux, nam plura urgent; ſum vela daturus
Quandocumque velint, pretio exorabilis æquo.
Obſtupuit Petrus, primum taciturnus & anceps
Subſtitit, attonitam volvens per ſingula mentem,
Namque latere dolum, & facili mendacia verbo
Subtimuit, ſed poſt diſcuſſa nube timoris
Numinis agnovit curam, cælique favorem.
Bis tredecim juvenes, inquit, tibi credere mens eſt;
Tu redde incolumes ( gens eſt gratiſſima Divis )
Finibus Auſoniæ; tecum mea vita, meum cor
Pars mei amabilior longinquas ibit in oras,
Tum pacta mercede diem præſcribit, & horam
Quo portu excedant; Matronis inde citato
Felicem eventum properat reſerare volatu.

Qua mare proſpectant montes, prope littoris oras
Planities nemoroſa viret: ſtant ordine longo
Per latera ampla viæ quercus, intonſaque cælo
Attollunt capita, & ſublimi vertice nutant.
Inde ubi nativo ſemper veſtita colore
Laurus in excelſum protenditur ardua murum,
Et docilis certa natura juvatur ab arte,
Monte minor collis, campo tamen altior æquo
Leniter aſſurgit, medio viridaria ſervat
Culta ſinu, atque oculos proſpectu paſcit amæno.
Hic ſpatioſa domus, quam cælo proxima turris,
Regalis facies, camerataque porticus ambit,
Quamvis parte ſui geniali exuta paratu

Plura tamen veteris ſervat veſtigia pompæ.
Huc famulos, qui multa parent accomoda navi
Borgia præmittit, totiſque abſcondita quærit
Ædibus, ut juvenes poſſit ſtudioſa juvare.
Vaſa quoque, & veſtes, nec tantum alimenta requirit
Nocte vigil tota: quid non mortalia cogis
Pectora Dius amor? Neque ſolis nuntia primas
Abſtulerat tenebras, cum villam accedit ad ipſam
Conditura cibos, operoſo inſtabat amori
Namque extrema dies; pubem jubet inde moneri,
Ut tectis tandem excedant, ut parva ſupellex,
Et quæ ſepoſuit, cumulo jungantur eodem.
Adfuit & Petrus, qui ſæpe ad littora tendens
Sæpe redux, juvenum curas & vota levabat.
Addidit huic Matrona alios qui ſacra miniſtrant,
Addidit & proceres, queis clam committere tantum
Poſſit opus, fortiſque ſuæ legit ipſa ſodales.
Sed famulis opus eſt, quorum delectus habetur,
Ut tacite mandata ferant, mandata reportent,
Et navem interea valeant onerare paratis.
Sic vobis gens chara Deo, terraque marique
Ejectis, queis & patria erubuiſſe videtur,
Ecce Sacerdotum, & Præcerum pia turba miniſtrat!
Hi, queis vileſcunt elata palatia cælo,
Queis undant ſervis aulæ, quos poplite flexo
Supplicis os, habitumque gerens, reverenter adorat
Turba frequens, & ſiqua ſui dent ſigna favoris
Gaudia vix animo capit, & gaviſa beatur:
Hi quibus inſervire decus, quos poſſe mereri
Obſequiis, res eſt multo quæſita rogatu
En famulas adhibere manus, dare fercula circum
Non dubitant, cyathoſque lyæo implere rubenti!
Tantum chara valet juvenili in pectore virtus:
Hos vobis conſtans animus quæſivit honores.
Phœbus iter medium ſummo confecerat axe,
Cum juvenes menſæ accumbunt, & Borgia primum

Fumantes liquido crateras jure ſeorſim
Diſtribuit: cum fumo indi ſparguntur odores.
Inde olera, & pingui condita legumina lardo
Et fluvialis Anas, & quos educit ab ovo
Gallina, at nequeunt fœcundas reddere Matres.
Hic cumulum ſimul auxerunt armenta gregeſque
Parte ſui, nam parte alia frixoria gaudent,
Atque aliam ſuccenſa coquunt fornacula partem.
Tum quæcumque veru lentum torquentur ad ignem
In gyros acta, & pingui ſunt illita ſucco:
Quæ vaga per ſtipulas tenera cum prole Coturnix
Paſcitur, & ſapidus cum Phaſidis alite Turdus,
Turtur ſæpe gemens, atque hoſpita vallis Alauda,
Et Scolopax longo quærens ſibi pabula roſtro,
Et (quibus arrident ſylvæ, & nemora alta) Palumbes.
Lente ſimul condita, & dulci embammate Perdix.
Indus adeſt pullus (nam ſic dixere priores,
Quando ignota olim noſtris regionibus ales
Appulit, occidua tranſmiſſum munus ab ora)
Quique gradu lento, & cauda ſtellante ſuperbit;
Mire exquiſitos avibus de more ſapores
Adjunxit ſtudium, teneros juga celſa dederunt
Capreolos, rabidos apros, leporeſque fugaces.
Non deſunt quos maſſa cibos condita repoſtos
Abſcondit tumefacta ſinu; quos ſacchara fingunt
Aut mergunt liquida, aut tantum inſinuata palato
Arrident; variis etiam bellaria formis,
Salgama paſtilli bucellæ liba placentæ,
Et quæ fœmineæ condit patientia dextræ,
Non temnenda addunt menſæ ornamenta ſecundæ.
Sunt pyra relliquiæ autumni, ſunt mitia poma
Atque uvæ tecto appenſæ (nam ſole peruſtas
Miſerat in navem) ficus, & candida pini
Germina, frondoſæque nucis; nec amygdala deſunt,
Caſtaneæ molles, & preſſi copia lactis.
Vina, ſed Hiſpanis tantum regionibus orta

Stant vitreis distincta cadis. Non Africa jatet
Finibus extremis, vel quæ culta insula Lusos
Excepit gremio, nec aprico Hungaria clivo
Hos ajunt superare haustus, non æquore sparsæ
Cyclades, Ægeæ vexant ubi saxa procellæ.
Non Samos, aut Cypria vinum tellure sepultum,
Quodque Ragusinum producit fertile saxum,
Et siculi colles, tepefactaque rura falerni
Et quod nomen habet lacrymæ, quod Hetruria nutrit
Culta sinu, & Veneti domina procul urbe reportant.
Non opus est mensis peregrinas quærere merces;
Possumus externos ditare: hæc vina Peraltam,
Hæc proavi nostri Petrum dixere Ximenem;
Hæc misit Malacensis ager; quæ proxima tellus
Matrito excurrit, nectar regale propinat.
Tarraco campano quondam cessura lyæo
Campanis modo præstat agris, pariterque Saguntum
Effertur, prima ante alias celebratur Alone.
Quid Carinenna tuos, & quid Montilla liquores,
Quid referam Parasete tuos? si singula dicam,
Ante diem clauso componet vesper olympo;
Plurima quin similes avibus fœcunda canoris
Insula, dat latices, Hispano subdita sceptro.
    Hic aliquis procerum ( reliqui dum talia fantur)
Arcam aperire jubet; sunt subere clausa tenaci
Vitrea vasa intus, tenui quæ bractea cedro
Dividit in loculos: vobiscum hæc patria vina,
Ferte, inquit, lentæ relevent fastidia navis.
Nominibus signata suis mihi miserat olim
Junctus amicitiæ vinclis de rure colonus
Mexiaco, sed plura locis America remotis
Educit, qua parte polum non cernit Iberus.
    Borgia Mexiaco rubicundum nectare vitrum
Extrahit, & vobis, inquit, quos urbe remota
Sancta Fides aluit, forsan latuisse putandum
Hunc laticem; procul Hispano de littore missum

Vix aliquot tantum licuit guſtare diebus:
Pocula deinde locat pario criſtallina diſco
Immittitque oſtrum, & convivis ordine profert.
Ordine præceſſit veneranda ætate ſacerdos,
Caſtrius & reliqui ſincero corde ſodales
Invito ceſſere locum; cui Borgia, notum
Sume hauſtum, terras illas ſudore rigaſti,
Forte manet reducem melior vindemia, quamvis
Ante laboratum modo linquere cogeris agrum.
Poſtquam expletæ epulæ, juſſit Matrona caniſtris
Omnia ſervari, nam ferme intacta ſuperſunt,
Atque profectura congeſta in nave locari.
Utque eſcas, & vina ferunt, gratiſſima ſalſas
Inter aquas: etiam navi ſua dona miniſtrat
Fons villæ ornamentum ingens, qui ſolis ad ortum
Ardua de duro jactans cunabula ſaxo
Profilit illimis, pura criſtallinus unda,
Et querulo aſpergit crepitantia ſaxa ſuſurro,
Naturæ ludentis opus, dulceſque benigni
Deliciæ ruris, quæſitum æſtate levamen
Per quem luxuriat nemus, & viridaria rident.
Caſtrius interea conjungit ad æthera palmas,
Atque oculos defigit humi; ſic fundere doctus
Ante cibos de more preces, ſic ſolvere grates,
Poſt epulas, ſociique alterna voce reponunt.
Ut menſa aſſurgunt, primum te, Borgia, prono
Ore adeunt, meritas tanto pro munere grates
Ut verbis referant, ſed cum prior ipſa loquaris
Sponte ſilent, ortas frænat reverentia voces.
Et te cogit amor tales exponere queſtus.
Incaſſum juvenes veſtro ſervire palato
Ipſa laboravi; nam cum tot fercula vobis
Objicerem ante oculos, diſcum ſtudioſa pararem
Cuique ſuum, calices pretioſo ſæpius hauſtu
Implerem, placet impaſtos diſcedere menſa.
Nec renuo vos in dulces prorumpere fletus

Namque ea lætitiæ danda indulgentia vestræ
Obruat ut sensus, & inexpectata procellas
Commoveat quandoque animo; sic dulcibus escas
Conditas lacrymis, lacrymans simul ipsa notavi.
Cur responsa tamen quæsiti sæpe negastis?
Omnia tempus habent; quæ nunc Deus otia fecit
Vobis læta fluant; præscripta silentia vestro
A duce prudenti debent ratione teneri.
Ille sui vindex, & inexorabilis hostis
Se mundo eripiens hominum consortia fugit.
Nudus enim caput, atque pedes, setasque rigentes
Indutus, diro cruciabat membra flagello.
Olli chara domus fuerat spelunca ferarum,
Illusitque famem, vilis non expulit esca.
Vix tamen accivit, quod cælo militet agmen
Alliciatque animas, retrahatque a faucibus orci
Aspectu facilis, visuque affabilis ipso
Monstrata jubet ire via, nam legibus æquis
Exemploque monet placidos componere mores.
Sic etiam ora noto vultu composta modesto,
Dejectosque oculos; tensæ laxantur habenæ,
Et, ne frangatur, quandoque remittitur arcus;
Sic recreare animos jussit Loyola suorum.
En geniale solum, facies pulcherrima villæ,
Areolis distinctus ager, spatiosa viarum
Oblectat series; saltem latera ampla domorum
Ornata aulæis misto fulgentibus auro
Observare juvat; nam gesta insignia servant
Jesuadum, dulcesque instillant pectore sensus.
    Dixerat, & prono respondet Castrius ore:
Præveni tua jussa libens, jam parce querelis
Borgia, jam virides conspeximus ordine calles
Spirantes vitam statuas, viridaria, & hortos;
Mirati, si tristis hyems, si tempora brumæ
Pulchra tibi servant villæ spectacula, qualis
Vultus erit, cum veris opes emortua tellus

Exe-

Exeret, & campos juveneſcere coget Aprilis?
Sæpius Oceani tremulas proſpeximus undas;
Quam noſtros rapit ille oculos, & pectoris ignes!
Nec circumfuſas vicino in littore naves
Noſſe datum, dulces turbarunt lumina fletus.
Nec doleas nos pauca loqui, reverentia voces
Anxia metitur, timidi fortaſſe videmur
Sed non audaces; juvenum ſic poſtulat ætas,
Sic nos emeriti morum docuere magiſtri;
In te matris amor nimium permittere cogit,
Sed veniam tamen ipſa dabis, prius omnia multo
Contulimus ſtudio, placuit concedere juſtam
Libertatem animo, at medium teneamus oportet.
Poſt epulas quæ ſparſa domo obſervanda ſuperſunt,
Quiſque modo præſens in tempus omittere gaudet.
   Tum ſocii properant Matronæ ſolvere grates:
Xavier accedit primus, ſed primus Joſeph
Alloquitur, jam jam primas effundere voces
Incipit, at vultus hilares & numine plena
Corda notans, niveo lacrymantem Borgia vultum
Linteolo abſcondit, juveneſque relinquit in aula.
   Illi inter ſeſe decernunt aurea circum
Ornamenta domus, pictaſque notare figuras,
Extollunt oculos, & primum Borgia quondam
Jeſuadum Præſes tibi ſe Coriane, videndum
Obtulit, ille novum ſocios tranſmittit in orbem
Atque manu vaſtos campos vaſta æquora monſtrat.
Hic mare pacificum, qua ſol deſcendit in undas,
Extendit ſeſe, Limæque ſuburbia lambit.
Illa novi caput Imperii ditiſſima ſedes,
Argentoque auroque potens, atque ubere gleba
Luſtra ævi ſeptem memorat, cum littore ſparſi
Portenta indigenæ priſcis incognita ſæclis
Viderunt mole immenſas dare carbaſa ventis
Remum indignantes (conſtructa palatia ponto
Dixiſſent, mediiſque errantes fluctibus arces)

Multiplicique rates noſcunt coaleſcere trunco.
Sed quam Jeſuadæ plauſu excipiuntur ovanti!
Quis procerum, quis plebis amor! quam dulcia vivis
Signa micant oculis, depictaque gaudia vultu!
En Portillus adeſt, magna ſpectante corona
Verba facit, juvenes illuſtri ſanguine ductos
Secum una adducens ſolatia porrigit ægris.
Parte alia cultas Bocamontius edocet artes,
Dogmata Chriſtiadum, & patrii commercia cæli.
Fontius in voces mutare Hiſpana latinas
Verba docet, tanti in partem venit ipſe laboris.
Longa ſedet puerorum acies, calamumque tenentes
Dictata ex exſcribunt, pendentque loquentis ab ore.
Sacra etiam vexilla ferunt, & virginis almæ
Effigiem, & duro pendentem ſtipite natum
Per fora, per calles poſtquam modulamine vocum
Laudibus extollunt divos, votiſque precantur
Ipſe loco elatus ſpargit documenta ſalutis.
Lopius interea conflat bis millibus agmen
Urbe vigil tota; videas ſudore madentem
Æthiopum mulcere animos, crudelia cælo
Pectora lucrari, ſanctoſque inducere mores.
Jamque novis ſocios video Tyronibus auctos.
Præſulis oblatum refugit Toſcanus honorem
Infula non crines, digitos non annulus ornet,
Sed vili exclamat Loyolæ ornemur amictu.
Regius hunc ſequitur mutata veſte Senator,
Doctrina illuſtres, clari pietate ſequuntur.
Sed jam ſtructa domus plaudente enaſcitur urbe
Hæc ſedes fuerat colubrum, nunc regia divum,
Hic divæ effigies, Roma quam mittit ab urbe
Borgia, corda rapit, ſacroque inflammat amore.
Cætera quid referam? Clypeis fulgentia circum
Signa micant, ſurgunt inſperſo ſanguine palmæ,
Et bene reſpondent communibus omnia votis.
Aſpice, ( Raymundus digito monſtrante reponit )
Quos

Quos ibi pinxit acus, populi miſere Chilenſes,
Atque ſua ſimiles optant regione colonos.
Quadrupedem obſerva, picturaque denotat ipſa
Veloci ſuperare Euros & fulmina curſu.
Sed quæ ſcripta vides, mittuntur ab urbe Quitenſi,
Planities ubi lata viret, ſed proxima cælo
Montibus impoſita, & nullas ſol arduus umbras
Efficit, atque polos diſcrimine cernit eodem.
   Urbs ( Marianus ait ) noſtræ fuit illa cohortis
Prima olim ſedes; ſed ſi fundamina noſtræ
Prima cohortis amas dignoſcere longius, urbem
Non opus eſt Limam quæſiſſe ( Antonius addit )
Aſpice ut orbe novo venientibus hoſpita primum
Carthago ante alias ſeſe obtulit; hic ſibi nomen
Præclaris meruere actis, bellumque potentes
Indixere Erebo, ventis dare vela ſecundis
Bis ſenos video, & noſtris appellere terris.
   Tunc utinam poſſent voto indulgere, Leander
Exclamat, felix jam dudum ea terra fuiſſet.
Nonne vides quam mira gerit Claverius, illo
Inviſas Carthago moras reparare videtur.
Ecce domus plena aulæis ſibi facta reſervat
Eximii oſtentare viri, quem poplite flexo
( Spero equidem ) pronus ſacras venerabor ad aras.
   Quod nequiit tunc Lima ( infit ſic Didacus ) oris
Hoc tandem noſtris concedit Mexica tellus.
Nam regno conſtructa novo ( ſic nomine dictum )
Bis ſeptem a primo luſtra enumeravat ortu
Sancta Fides, caput Imperii, communibus inde
Jeſuadas votis celebrem toto orbe phalangem
Quærit, & hoſpitibus manſuras collocat ædes.
Præſul adeſt, reſonas videor bibula aure loquelas
Excipere, hoc unum nequit addere pictor, at ipſa
Pictura attonitos potis eſt ita fallere ſenſus.
Secum una comiteſque viæ, curiſque levamen
Adduxiſſe viros, placido venerabilis ore

Præ-

Præſul ovat, proceres plaudunt, ſacer inde Senatus
Annuit, & largis coacervant munera dextris.
Quis tamen o ſocii (quærit Vincentius) ille eſt
Syrmate purpureo inſignis, ſceptroque nitenti,
Largus opum, quas incæptas effundit in ædes?
Borgia forſan erit? Nam quando habitacula ſtruxit
Jeſuadis, (neque me vultus ea fallit imago)
Non adſcriptus adhuc noſtris, hoc fulſit amictu.
Audiit, & lepido ſubriſit amabilis ore
Franciſcus; non ille, inquit, ſed Borgia dictus
Tanto dignus avo, virtutum, & ſanguinis hæres.
At primus, Franciſce, tuum ſibi nomen amavit,
Maluit iſte meum, ſubmiſſa voce Joannes
Addidit, & geſta Heroum celeberrima confert.
Xavier interea defixos corda ſagittis
Aut truncos capite, aut ſaxorum mole ſepultos
Jeſuadas pretioſam animam exhalare notabat.
Viſitur inde alius mediis incedere flammis
Intra urbem, qua magna foro jacet area, cives
Mirantur, vires acuit gens barbara circum
Ignibus, arentes alimenta perennia truncos
Injicit, & magnos ramorum adjungit acervos;
Has juvenis flammas, quas non timet ille, timebat:
Ferre miſertus opem, truncoſque avellere dextra
Nititur, at murum conatu tangit inani.
Forte videt, Petrus, lateri qui proximus hæret,
Xaverio immaduiſſe genas, hunc pelle timorem
Frater, ait, potius felici ſorte beatos
Laudibus extollas, & queis timuiſſe videris
Ah, precor, invideas, grata eſt hæc victima cælo;
Quam docuere, quo firmarunt ſanguine legem.
Hic ego (ſignavit digito Petrus indice Mompos)
Hic ego mirabar, dum prima adoleverat ætas
Magnorum geſta Heroum; tot prodiga vitæ
Pectora, tot plenas cæleſti numine mentes.
Namque ibi Jeſuadum ſedes ornata tabellis
In-

Instillat pietatem animis, dum gesta suorum
Exprimit, & sanctæ monuit me jungere genti.
Sed non picta meum ( retulit Vincentius ) acta
Allexere animum; patria quæ semper in urbe
Hisce oculis egomet vidi, atque domestica gentis,
Æmulaque antiquis me clara exempla vocarunt.
Ipse ego Jesuadas nil res curare caducas
Servabam, oblitosque sui, oblitosque suorum,
Ac cælo intentos cælestia spargere vidi
Semina, nilque suis aliud præfigere curis
Quam solum (ampla quidem, quærendaque præmia)Numen.
Quemque vides læto superare incendia vultu
Innocuis cinctum flammis, cum laudis honore
Sancta Fides memorat; socios hanc primus in urbem
Intulit, at sanctis renuit gens barbara dictis
Præstare obsequium, sed si velit ire per ignes
Esse Deum, & quantum valeat Deus ipse notabunt.
Sese offert ille intrepidus; ducuntur in amplum
Ligna forum, furit emissis violentia flammis,
Et circum inspergit crepitantes aura favillas:
Ingreditur, defertque manu Venerabile Numen
Affixum ligno, cælestia dicta moratus,
Fundit in adstantes, Numenque in imagine monstrat.
Non ausa est vestem, non lædere flamma capillos.
Nec te prætereat quantum valuere sodales
Gentibus incultis, quas nil servare putares
Indolis humanæ; sine lege, & rege vagatur
Mentis inops natura, ferisque ferocior ipsis.
Ast illi nunc plana petunt, sic nomine dictus
Est locus, hic socios felix quinque induit ostrum
Qui prius has sudore rigant, dein sanguine terras.
Nunc rura excurrunt Casanaria, Magdalis oras,
Et virides Metæ ripas; gentesque propinquas
Excolere intenti, & qua lato Orinocus aquarum
Vortice decurrit, cymbarum ad commoda mittens
Brachium, ut immensas locupletet Amazonis undas.

Talia dicentem, ſed dicere plura parantem
Interrumpit ovans, veniam tamen obtinet ultro
Andreas; nam veſte nigra juvenilibus annis
Depictos obſervat acu, queis candida circum
Agmina feſtivæ ludunt ſuper ora columbæ
Inſidunt humeris, & roſtro pectora monſtrant.
Tum repetit fellis ſoboles ignara choræas,
Quæ ſemper tecta alta colit, cui ſordida ſedes
Deſeritur, ſigna antiquis Tyronibus apta,
Oh utinam modo conveniant ſigna omnia noſtris,
Quæ miſit Deus ipſe olim! nunc limine pulſi
Dextram adjutricem niſu majore precamur.
Hæc ait; intenti ſolio dum Numen ab alto
Quatuor obſervant ſocii; ſtant agmina circum
Aligerum, & proni Dominum reverenter adorant.
Grata alii gemino referunt commercia mundo,
Inducuntque preces hominum, vota anxia cordis
Numinis ante thronum; cæli ſpatia ampla videres
Thure ſuperpoſito, noſtris quod ſurgit ab aris
Afflata, & fumo ſuperi recreantur odoro.
Quem rabies quondam, pietas nunc immolat agnum
Pluribus oblatum terris, ſed ſemper eundem
Mirantur, Divinum agnum, qui ſanguine delet
Omne ſcelus, ſunt plura libro deſcripta fideli
Nomina in obſequium magnæ collecta Parentis:
Nomina ſæpe legit, relegitque, & ſervat amanti
Diva ſinu, nam quiſque ſacrum bis curat in anno
Offerri, pacto auxilio, per mutua ſecum
Fœdera, cum vitam mors falce abſcindet adunca,
Expiet ut noſtrum cæleſtis victima crimen.
Aſpiciens tacito Franciſcus ſingula vultu
Obſtupuit; plura Emmanuel, & plura Joannes,
Pluraque ſenſa aperit Laurentius, ac ſimul omnes
Explicuere animum; de cælo, & numine dicunt
Colloquio alterno, ſed quod pietate magiſtra
Venerat in mentem, non quod dictabat acumen

Inge-

Ingenii, lectique citant verba aurea Kempis.
At senior, quem canities veneranda decorat,
Mexica quem tellus superare laboribus annos
Viderat, ah fratres, inquit, pulcherrima vobis
Aulæa ostendunt vestræ decora ampla cohortis.
Hunc usum, qui nunc toto distenditur orbe,
Sancta Fides primum instituit; sub virginis almæ
Auxilio stabili coeunt pietate sodales,
Atque stipe oblata sociis jam morte peremptis
Ferre libenter opem curant, pia fundere vota,
Utque sacerdotes renovent miracula cœnæ.
Omnia si numeres quæ sunt renovata quotannis,
Mille octo vicibus pars est millesima tantum.
Assiduis tantum potuit clementia curis!
Aligeri nivea sub panis imagine sistunt
Symbola, proque suis virgo cultoribus orat,
Virgo simul, tutela hominum, materque tonantis;
Sic gaudet pia virgo coli, sic jusserat olim.
Dixerat, atque suas properat cognoscere terras,
Felices equidem, namque inter pulchrior urbes
Nobilis urbs surgit, quæ pura adlambitur unda;
Donaque naturæ prudens accrescit ab arte,
Nec tantum insignes moles, elataque cælo
Culmina, sed circum viridaria spectat, & hortos;
Culmina per fluctus grato duplicata reflexu,
Hortos ( oh artis cura ingeniosa! ) natantes;
Non currus auro insignes, gemmisque nitentes,
Nec cymbas numerare potes; sic commoda certant
Divitiis, cæloque homines beat aura benigno.
Nobilior tamen ipse locus, quod Maxima Diva
Sacrari delapsa polo sibi jusserat aras
Æternum obsequii monumentum, & pignus amoris.
Non veræ absimilem divæ miramur Joseph
Effigiem, inspersumque rosis olet undique templum,
At Simeon properat Cinaloæ inquirere gentes
Cantabriæ regna ampla novæ, & queis nomina flores

Indiderant; quæritque polum; intuitusque finistros
Vertit ad occasum, rupes Caliphornia, & undas
Objicit; at fluvium tranans, atque ardua vincens
Culmina, conjunctam regna ad Borealia noscit.
Quaque oculos volvit, celeberrima gesta suorum
Miratus, dolet heu! non esse in parte laboris.

Tres clari studiis juvenes latera ampla propinquæ
Conspexere domus, queis patria rura notabant.
Montibus ex altis Paraquaria defluit unda
Mole gravis, campoque diu spatiatur aperto
Indignata obicem, & vires acquirit eundo
Effera, sexcentis postquam torrentibus aucta
Instar abit maris, utque pari conjungitur alveo
Amittit nomen, gaudetque argentea dici.
Ecce librum in mensa casu, Bernarde, locatum
Inspice, cuncta leges, quæ sunt descripta figuris.
At tria, ni fallor, cerno exemplaria, sume
Hunc, Francisce, illum Clemens tibi sume legendum;
Ecce avidis capiunt objecta volumina dextris;
Nunc latere opposito sejuncti scripta revolvunt,
Nunc aulæa notant; properat bibula aure Joannes,
Hippolitus, Joachimque simul lœto ore propinquant.
Quartus, in adversa observat qui parte tabellas,
Accurrit celer, & lectis applaudit Joseph
Quanquam ætate minor, nulli virtute secundus.
Jure quidem celebris toto Muratorius orbe
Auctor adest titulo inscriptus, pondusque decusque
Ipse operi adjungit; dicendi ornata venustas
Perstat adhuc, quamquam Hispano vestitur amictu.

Per spatia ampla domus, placida dum mente vagantur,
Bis tredecim juvenes & res & facta suorum
Intenti observant, sonus auribus ecce propinquat;
Tortile nam flagrum vacuas diverberat auras,
Et prope fit gravior rauco stridore rotarum.
Turbantur juvenes, clamorque domesticus auget
Corde metum, tenerosque incendit purpura visus.

At ſubito auditæ ſedarunt pectora voces:
Gaudia ſuccedunt depulſo inopina timore.
Ecce Joanna venit procerum ſtipante corona,
Extremumque vale teneræ dictura cohorti
Comiter accedit! Jam vos felicibus, inquit,
Gratulor auſpiciis patria diſcedere terra:
Omne ſolum forti patria eſt, vos ite per orbem,
Semper idem vobis cælum eſt; recreabit euntes
Felix proſpectus, nova ſemper & altera rerum
Alliciet facies; errant quoque ſidera cælo.
Dum loquitur, famuli ſpumantia nectare vaſa
Mex'aco apportant; variis bellaria formis
Adduntur; primum nutu, dein Borgia voce,
Ut ſedeant juvenes, oblataque munera ſumant,
Imperat.; ipſa manu cyathum officioſa Joannæ
Exhibet, & lepidis hilarat conſortia dictis.
Italiæ in laudes abeunt, moleſque recenſent
Artis opus miræ, atque ævi monumenta vetuſti,
Ingenuas artes, culta ornamenta domorum,
Tum miras telluris opes, cælique benignam
Temperiem, dulces hominum grata indole mores.
Tum juvenes ſimul invitant, calleſque virentes
Ingreſſi, ad pratum malunt divertere, & aura
Liberiore frui, ut campo ſpatientur aperto.
Et jam majores veniunt e montibus umbræ:
Tecta vocant iterum; pergunt ibi fallere tempus
Colloquio alterno, cænam Matrona parari
Juſſerat hoſpitibus, juvenes tamen aula recepit
Diviſa a reliquis, qua fruſtra nobilis offert
Menſa dapes, hauſtuſque hilares; accumbere menſæ
Poſſe negant paſti nimium; tum Borgia queſtus
Ingeminat, ſolitaque excuſat laude Joanna.
Atque ait: oh juvenes, cum primum aurora rubeſcet
Eſſe ſimul cunctos opus eſt jam nave receptos.
Forte moras Dux ipſe trahet; ſed pellite curas,
Ibitis Italiam, & portu ſolvetis Ibero.

Conceptos arcebo obices, pretioſa ſuperſunt
Nunc momenta; licet placidam captare quietem.
Sic ait, & juvenes amplam comitatur in aulam,
Et madida imbre genas felicem Borgia noctem
Augurat: extrema eſt, qua vos mea viſcera cernam:
Dixit, at introrſum refluens vox faucibus hæſit,
Unde ea quæ dixit, potius dixiſſe videtur;
Advolvitque fores, & limina clauſa relinquens
Comiter ad cænam proceres invitat opimam.
Ducenda in navem juvenes quæ ſtrata parabant
Ordine ſtant longo; ſuadet nox humida ſomnos,
En locus in promptu eſt: ſomno indulſiſſe putares;
Falleris, huic, ajunt, erit opportuna quieti
Incertæ mora longa viæ; nunc fundere vota
Convenit, & nobis placatum reddere Numen.
Nunc alia eſt optanda quies; quæ forte ſuperſunt,
Lucro apponantur votis communibus horæ.
Urget opus, res magna agitur; cæleſtia nobis
Auxilia extremo faveant obtenta periclo.
Tum vario diviſa loco generoſa juventus
Inflectit genua, & ſupremo ardentia ſiſtit
Corda Deo, funditque preces, atque anxia tutam
Poſcit opem; junctis templa ad cæleſtia palmis
Lumina figit humi; facunda ſilentia vocis
Pondus habent, volitant gemitus cordiſque favillæ,
Deſcenduntque polo placidis ſolatia pennis.
Inter convivas dulciſſima quilibet Heros
Materies ſermonis erat, ſilet anxia primum
Borgia; ut aſpexit menſæ ornamenta ſecundæ
Non potuit tolerare moras, tacitoque receſſu
Subtrahitur, charam viſura a limine pubem,
Deficiat ne aliquid, placidique ex more quieſcant.
Læva tenet faculam, ne quid remoretur euntem
Dextra præit, valvas aperit, vultumque ſilentem
Intulit, at vacuo nullum requieſcere lecto
Attonita obſervans gemitum compreſſit obortum,
Inde

Inde oculis volitat, cunctos immobile ſaxum
Cernit, & in patrium flammas tranſmittere cælum.
Vellet abire quidem, at placidam turbare quietem
Cogit amor, titubatque anceps in utrumque parata,
Expers conſilii feſtina propinquat ad omnes;
Utque videt nullum greſſus advertere, facti
Pœnitet, & madido convivis additur ore:
Dumque ipſis narrare parat quæ viderat ante,
Mecum una juvenes ( nec ſit mora longa ) recedant;
Petrus ait, jam pacta inſtat vectoribus hora;
Ante fores aderunt; ſua ſarcina cuique paretur;
Tempus adeſt; juvenes ignoto tramite ducam,
Fidere nec tenebris ſatis eſt; ſic arbitra rerum
Clara Joanna jubes; ſic te quoque, Borgia, velle
Convenit, ut laqueos & tenſa illudere detur
Retia, tartareos tandem ſuperabimus hoſtes.
Dixit, & unanimi concreſcunt gaudia plauſu.
Nec mora, nec requies: accitur chara juventus,
Extremumque vale digreſſu inſtante viciſſim
Congeminant, & dona addunt in pignus amoris,
Hic loquitur fletu, hic oculos defigit in illis,
Gaudia miratus vultu transfuſa ſereno;
Hic ſilet, hic precibus ſeſe commendat euntis,
Aut hos, aut ſimiles edunt de pectore ſenſus.
Ad ſacram ut dabitur venerari cominus aram
Loyolæ exuvias, & tecta abjecta profanis
Chara tamen cælo, domuum interiore receſſu,
Quæ quondam excoluit Dux veſtræ & norma cohortis,
Rebus in adverſis conſtans mihi quærite pectus.
Gonzagæ exuvias ſervat ſtudioſa juventus,
Et domus extat adhuc cæleſtis conſcia flammæ,
Regia candoris, venientibus hoſpita Divis,
Qua quondam Lodoix quamquam ſine crimine vitæ,
Quæ commiſſa timet, dubitatque a Judice ſummo
Deleri venia, diris cruciatibus anceps
Vindicat, ipſe ſui crudelis tortor & hoſtis.

Integer ut vitæ, ſceleriſque innoxia purus
Cuncta geram, ſitque horrori vel criminis umbra,
Quærite, at in multis quod ſæpe offendimus omnes
Æquum erit, ut meritas noſtri pars peſſima corpus
Cauſa mali tanti ſubeat me vindice pœnas.
Quæque etiam ſervat Koſtkam Tyronibus urna
Ante alias veſtros rapiet ( dum dicit amores
Neſcio quis) voces Petrus interrumpit, & inſtat;
Jam dextra impellit, jam cogit abire volentes:
Caſtrius extremum vultu dat ſupplice grates,
Dant pariter ſocii; tum voce manuque loquuntur
Inſigni virtute viri, renovantque viciſſim
Signa animi; qua deinde licet comitantur euntes,
Ipſa diu tremula ſequitur quoque Borgia voce.
Sæpe alios aliis voluere adjungere nummos
Matronæ, pluresque viri & generoſa piorum
Dextra Sacerdotum; ſed quod ſatis eſſe putamus,
Accepiſſe juvat: prono ſic Caſtrius ore
Infit, & oblatum conſtanter reſpuit aurum.
Jam ter quinque dies naſcens numeraverat annus,
Cum navem aſcendunt juvenes, ſed nave retenta
Coguntur trepidi duodenas viſere luces.
Hei mihi quam pigro labuntur ſidera curſu,
Xavier exclamat; ſed quid, Vincentius inquit,
Miraris? Lentæ brumali tempore noctes
Ire ſolent, noſtris emergit ſegnius undis,
Et cito in adverſum Titan demergitur orbem.
Hinc longæ noctes; at ſi duo tempora demas
Sacra Deo, extremæ primæque crepuſcula lucis
Non ego credideram dum volvit Aquarius urnam,
Tam longos fluxiſſe dies, me charta latenti
Miſſa manu ſummum admonuit ſupereſſe malorum:
Dum procul aſpicio remos & vela moveri,
Palpitat interno cordis penetrale tumultu;
Heu nova nos revocant decreta, & quiſque jubetur
Nativas habitare domos, vos Numina noſtros

Fle-

Flexilia in gemitus, vos talem avertite sortem
Si quid amor, si quid nostri meruere labores,
Nostra fides, sæpe ante aras jurata, t morque
Sollicitus, tanto nos hinc arcete periclo.
Dixerat, & læva cælum penetrabile votis
Intonuit, juvenesque emissa luce beavit.

*Finis Libri tertii.*

---

# HEROUM

## *LIBER QUARTUS.*

PAnditur interea domus omnipotentis Olympi,
Aligerosque vocat superumPater, atque hominum Rex
Sideream in sedem, terras unde arduus omnes
Castraque Jesuadum adspectat, fidasque cohortes.
Considunt tectis bipatentibus; incipit ipse:
Cælicolæ magni, queis clarus ab hoste triumphus
Æterna dat pace frui, regnoque potentes
Constitui, & mea veloces ad jussa ministros:
Sunt mihi bis tredecim florenti ætate clientes,
Quos ego victores repetita excedere pugna
Conspexi, & constare animo ad majora parato.
Orbe novo prius afflicti, pariterque vetusto
Sæpe renascenti cinxerunt tempora lauro.
Nunc statuo, ut bellum longinqua mitius ora,
Et minus intensos subeat peregrina labores
Fida cohors læta exemplis & voce suorum.
Felix, quod nostro auxilio, non viribus umquam
Fisa suis, hostem irrisit generosa juventus,
Et mihi multiplices tribuit decerpere palmas.
Jam satis Hesperia tentari novimus ora,
Qua tamen ipse mihi fidissima corda paravi
Ut modo consiliis, opibus modo prompta juvarent

Veſtibus exutam, ſine victu & ſede cohortem.
Pars nulla Auſoniæ dextras ſupplebit Iberas,
Sed ſeriem abrumpet, quaſi mundo ignota, malorum
Finibus Italicis ſoboles, quam præſcia jam nunc
Tartara formidant, quondam nova prælia ſurgent,
Sed tamen a magno firmentur corda triumpho,
Et ſimul inſtaurare animos vireſque juvabit.
Mille nocendi artes Erebo permiſimus, at quos
Junximus externo fruſtra divellere tentat
Conatu. Jam verrit aquas, regna Itala quærit:
Vos comites ſimul eſte viæ, ſinite aſpera ventos
Prælia tentare, at ſævas cohibete procellas
Undique concuſſam pelago ſubmergere navem.
Sint quoque qui monitis firmo divertere curent
Propoſito, infamis ſua ſint convicia linguæ,
Mitius iſta tamen, nam ſunt ea tempora pacis.
    Dixerat, & dociles illuſtrat lumine mentes:
At ſubito Aligeri rapida velocius aura,
( Ut juſſa, & qui juſſa dedit reverenter adorant,
Læti quod valeant Domino inſervire ſupremo! )
Herculeo diviſa ſinu maris æquora luſtrant.
Vela dabat navis, properat de littore Cymba
Inviſas factura moras, turbataque ventis
Unda proceſſoſos volvebat in aera fluctus.
    Cymbam inter, navemque locant contraria flabra
Aligeri, tumefacta videt ſua carbaſa navis,
Et mare per medium patrio diſcedere portu;
Naufraga cymba timet, ſine velo, & remige retro
Pellitur, & citius quam vellet littora quærit.
Tum venti poſuere, levique Favonius aura
Obſtrepit, & motæ gaudet colludere puppi.
    Jam procul apparet priſcis celeberrima Calpe,
Et poſita Herculeis terrarum meta columnis,
Unde Afros Europa videt, ſed in æthere Titan
Occiduus cupidos orbavit lumine nautas.
Dum vaſto Oceano ſenſim poſt terga relicto,

In vada flectebant mediis labentia terris,
Africus insurgit, terrasque abradere cogit
Hispanas, magnoque diu trahere otia portu;
Armerium nostri, atque Hircum dixere priores.
Festa dies albo fulsit signanda lapillo,
Qua quondam Alma Parens fœcundior omnibus una,
Virgo intacta simul, postquam mortalia nato
Membra dedit, nato cælesti ab origine ducto,
Expiet ut maculas, quas non contraxerat umquam,
Serviat ut legi, cui non servire tenetur,
Et clarum nobis exemplum præbeat alto
Consilio, sacras humilis se sistit ad aras
Mistica dona ferens, niveas sine felle columbas
Vix nido egressas, timidasque recentibus alis.
Ac velut obscura faculam sibi nocte viator
Quærit egens, mediis nam circum expansa tenebris
Monstrat iter; sic Virgo Parens diffundit in omnes,
Ut recta incedant virtutum exempla suarum.
Hinc veterum pietas magnæ obsequiosa Parenti
Candentem ceram, quæ flammæ alimenta ministrat,
Distribui jussit, clarissima symbola ritu
Et populis veneranda sacro, queis mense minori
Orta secunda dies memorat gesta inclyta Divæ.
Nec tantum spargit radios, sed flamma calorem
Diffundit, cæloque volans secum ignea sursum
Proxima quæque rapit, circumdat, permeat, urit.
Haud secus Alma Parens Divino incendit amore
Corda hominum, in cælumque trahit; sic stella vocatur
Sic merito sole induitur, supera astra coronam
Effingunt, & Luna pedes subjecta venustat.
At quamquam Heroes venerandum accedere templum
Solliciti, & sacris assistere ritibus optent,
Invigilat navi galea metuendus, & ense
Miles, & egressum verbis minitantibus arcet.
Bætica terra vale, nostræ quondam hospita gentis
Nunc hostis, non qualis eras cum provida Mater

Jeſuadas ſervare ſinu, ſuper aſtra ſolebas
Laudibus evehere, inque novum tranſmittere mundum
Feſtivas inter laudes, effuſa per urbem
Turba frequens merita ampla virum vulgabat, & ipſis
Fauſta precabatur; ſparſæ per littora matres
Monſtrabant digito cæleſti in lege magiſtros.
Intenti ſtabant pueri ingenuæque puellæ,
Lætaque concordi reſonabant æquora plauſu.
Nunc opus eſt celerare fugam ſub nocte ſilenti;
Incutit ipſa levi ſonitu placida aura timorem,
Nec latebræ tutantur iter; forte obvius hoſtis
Inſidias laqueoſque parat; crudelis ubique
Livor, ubique Dolus, rabido Violentia flagro
Serpit agens, juveneſque ferit graviore procella.
Non tamen hæc teneræ lacerabant corda juventæ:
Italiam, Italiam memorant, meta unica votis
Hæc erat, ut propriæ jungatur quiſque cohorti.
Spes ea dulcis ineſt animo, ſic lenta viciſſim
Tædia ſolantur, turbataque cærula rident,
Et verſo ſæpe intuitu ad cunabula ſolis
Vela dabant læti, & ſpumas ſalis ære ruebant.
Sola erat interno veſtis mutata dolori;
Ipſa tamen ſummo reddenda a Præſule veſtis
Cum magno admiſſum reparabit fœnore damnum.
Italiam Italiam memorant, ſed ventus & unda
Cogit in Hiſpanos rurſum deflectere portus.
Sæpe etiam nautis violentior obſtitit aura,
Sæpe etiam nullo pellebat carbaſa flatu.
Quamquam inter Divas, ſacris quæ cætibus adſunt
Præſidio ſtabili, legum Obſervantia numquam
Deſeruit juvenes, tamen hos dum littore ſolvunt
Parte ſui latuit, potuit nec tota videri.
Aſt ubi collectos paullum requieſcere curis
Agnovit, dio colluſtrans lumine proram
Conſtitit ante oculos, menſes deſignat & annos
Veſtis acu Phrygia, & ſpatiis æqualibus horas.

Vaſcula ſunt læva ſabulo rubicunda minuto
Bina ligata ſimul, verſis hærentia labris,
Unum alii impoſitum, tenuique foramine pulvis
Effluit, alterno plenum ſic ordine vitrum
Verſat in inferius quæ dona receperat ante.
Inſtar euntis aquæ pluvio labentia filo,
Sic ſoliti juvenes metiri tempus & horas,
Deque die ſolido parva intervalla ſecando
Demere particulas, ſuperoſque in vota vocare.
Tempora ſic fandi, ſic tempora certa tacendi
Sic ſtudiis præſcripta, & ſic præſcripta quieti.
Diva libros dextra oſtendit, ſed mole puſillus
Emicat ante alios; nam continet ordine leges,
Quas natis Loyola ſuis præſcripſerat olim.
Ut primum juvenes venientem a limine Divam
Conſpexere, ſilent, & purpura ſpargitur ore,
Tum trepidi accedunt inſtar commiſſa fatentis,
Aut veniam orantis, ſed pellite corde timores,
Diva inquit, revocate animos felicibus auſis;
Quæ jam præſcripſi folio tradenda fideli
Quiſque iterum relegat, memorique in mente volutet.
Dixerat, inque ſui ſe luminis abdidit umbras.
Quem, dictante Dea, nuper ſcripſere libellum
Hic dextra, tenet ille ſinu, mora nulla retardat.
Ut valeant ſæpe in mentem revocare legendo,
Quiſque legit ſecum ipſe loquens, ac talia fatur.
Nulla mihi noctis, nulla effluat hora diei,
Quin fixo intuitu Numen contempler; in omni
Tempore, quidquid agam, venerari Numen oportet.
Numine digna geram, præſens videt omnia Numen.
Immo etiam ſummo fidus venit æthere cuſtos,
Oh utinam indignus tanti non reddar honoris!
Non mihi dum vigilem (neque erit revocabile damnum)
Tempus inane fluat, parvo merita ampla labore
Sponte offert Numen, merito confertur eodem
Juſſa quies, ſeptemque horas dat regula ſomno.

Nam-

Namque prius medium peragat quam Cynthia curſum;
Effluit hora duplex, reliquæ pars altera noctis
Quinque addit, tum prima animi vigilantis in altum
Cura volet, cælo primi donentur amores.
Pellere jam ſomnos nebulamque extrudere noctis
Sollicitus ſignum effingam ſuper ora ſalutis;
Dum veſtes capto, regat uſque modeſtia dextram,
Srataque compoſitis diſtendam æqualia textis.
Tum genibus flexis Numen reverenter adorans
Effundam brevi ore preces; vultumque manuſque
Sordibus abſtergam, meque ipſe ſodalibus addam.
Lector adeſt:: bibula aure ſonos ſenſumque legentis
Excipiam; ſic mens ſenſim ad majora paratur.
Tum dabitur ſignum, & tacitæ penetralia mentis
Ingrediar, jamque incipiet ſordeſcere terra;
Lunæ extra ſoliſque vias ſuper aſtra volabo,
Numinis ad ſolium excelſum ſedeſque beatas
Admiſſus patrio nectam commercia cælo,
Et ſuperum fruar alloquio; quæque ante paravi
Diſcutienda animo, majori luce niteſcent.
Dulcia mulcebunt paullatim incendia pectus,
Et mittam ardentes flammato e corde ſagittas.
Has mihi delicias dabitur differre per horam
Bis media addetur diviſa parte diei,
Cum ſemel atque iterum tacita hæc commercia quæram.
Sed ſupereſt pars quarta horæ, cum menſa paratur,
Occupat & cæli mediam ſol arduus arcem
Nocte iterum repetenda, monent cum ſtrata quietem.
Hic reus, hic trepidans ſacra judicis ora tuebor,
Nunc facilis, nec poſt mortem exorabilis ulli;
Ut quoque Majeſtas mihi ſit perſpecta rogabo
Numinis offenſi, cæleſtem quærere lucem
Cura ſit, & mentis tenebras expellere, ſordes
Indagare animi, dum ſingula geſta recurram
Sollicitus, verba expendam, ſenſa abdita cordis,
Quæ peragenda forent, ſed deſidioſus omiſi.

Tum me pœniteat, dextra tunc pectora tundam
Dum ſævo intueor pendens a ſtipite Numen
Ni lacrymæ impediant, ni me reverentia tardet,
Bina cruentato defigere lumina trunco.
At ſaltem mente obſervem languentia membra,
Liventes artus, laniatum vulnere pectus;
Heu mihi cor offert mihi ſedem oſtendit amoris,
Arguit ingratum, & redamari jure repoſcit.
Me capite inflexo vocat, & mea crimina clauſis
Advertens oculis, mihi velle ignoſcere monſtrat.
Brachia in amplexus revocant expanſa nocentem,
Cuſpide fixit amor plantas, ne terga daturum
Forte putem; ne lignum olim ferale timorem
Incutiat, poſt terga jacet; Deus ipſe cruento
Affigi patitur trunco: quin prodigus amplo
Sanguinis effluvio ſordes abſtergere vellet.
Summe opifex rerum, Patriſque æterna propago,
Terra Ereboque potens, ſuperi Regnator olympi,
Nonne ſatis fuerat donis nil tale merentem
Me cumulaſſe tuis, quin tot perferre labores
Unius ob noxam, qui totum ab origine prima
Corrupit mortale genus, tu criminis expers
Victima grata polo, mortemque ſubire cruentam
Non dubitas, quin plura pati ſitibundus anhelas?
Sic animi affectus mihi das ſuperare rebelles,
Præmia magna offers, pœnas minitaris; at una
Promiſſis, & parce minis, majora ſuperſunt:
Te præbes mirum exemplar, vireſque miniſtras,
Tu rapis ipſe animos, tanto me vincis amore;
Oſcula pronus humi figam, nec figere dignus
Sanguine conſperſis pedibus, truncove propinquo.
    Hæc quem Terra dedit nobis Paraquaria, Clemens
Legerat, abreptuſve animo legiſſe putarat
Plura addens, orti turbarunt lumina fletus.
Franciſcus chartam arripuit, quæ plurima deſunt,
Lecta, relecta notat, patria translatus eadem

Fidus adeſſe comes lateri gaudebat, ut acri
Æmulus ingenio, ſic non pietate ſecundus.
Tum memorat quæ certa piis incumbere libris
Tempora præſcribant, quæ per tabulata vagari
Permittant, ſic poſt epulas plena effluet hora
Colloquio alterno, atque interdum accedere nautas
Convenit, & monitis ſanctos inducere mores.
Sic eadem repetunt juvenes, ſic omnia ſervant
Temporibus præſcripta ſuis, & quiſque volutat
Secum una memori jam fixum mente libellum.
Nec ſatis eſt legiſſe ſemel, quando auſpice Diva
E Gaditano primum diſcedere portu
Contigit; aut navem jactent in littora venti,
Obſiſtantque diu, aut juvenes revocentur in altum
Scripta legunt, retinentque animo documenta fideli.
Forte iterum Clemens comitum ſtipante corona
Sermonem injecit rerum, quas legerat ante,
Lætus quod ventis properabat cymba ſecundis
Nil adverſum inſtare putans, ſed terra propinquat,
Anchora de prora jacitur, ferit æthera clamor
Nauticus, & laxo ſubſidunt vela rudenti.
At ſimul horribiles pelago reſonare fragores
Advertunt taciti Heroes, tum fulminis inſtar
Igneus ecce globus malum tremefecit utrumque:
Grandinis in morem candens volat aere ferrum
Et ſecum trahere, & minitari funera credas.
Mirantur juvenes, Clemens conclave remotum
Solus adit, de more preces in ſidera mittit,
Caſtrius expellit ſociorum e corde timorem;
Ad te, Virgo Parens, juvenili Xavier ore
Attollit vocem; ſenior te, Virginis Almæ
Sponſe vocat, teque unanimes, Loyola, ſodales.
Heu fuge crudeles terras, fuge littus iniquum
Dux navis voce ad ſocium conclamat acerba;
Ille vigil clavum ſublimi in puppe regebat,
Verte alio, diſcede celer, fugiamus oportet

Inſidias hominum, vento obluctemur & undis.
Ecce autem juvenumque preces, pariterque laborem
Nautarum Numen pelago renuente ſecundat.
Aligeri, quibus eſt ſanctæ cuſtodia pubis
Tradita, divertunt ſine vento & remige navem,
Quin etiam in terras vento impellente propinquas.
Obſtupuit furor undarum, erubuere procellæ,
Nec jam noſcit aquas, nec jam gens nautica ventos.
At tantum Heroes dextram agnovere latentem,
Dextram, qua ignitas direxit in aere glandes
Unde tubi ignivomi, tormentaque bellica vires
Amittunt, ſolum fert devia flamma timorem;
Bacchari circum, non auſa attingere navem.
At navis lato Oceano jam tuta vagatur,
Barcino jam portum facili venientibus offert
Ingreſſu, ſed adhuc juvenes inopina pericli
Cauſa latet, ductorem adiit Raymundus, & omni
Inſtruitur rerum ſerie, petit inde ſodales
Intrepidoque animo ſubſidens talia fatur.
Jam nos, o ſocii, vultu metuendus & armis
Plurimus invaſit miles, ferroque minaci
Ignivomi petiere globi, queis jungitur ori
Lancea utrinque minax, & cuſpide terret acuta.
Quid galeam horribilem loricæ pondus, & haſtam,
Quid bifidos enſes memorem & rutilantia pila?
Deerat adhuc non ſolum hoſtes ſe prodere ſignis,
Non ſolum oſtentare minas, inferre timorem,
Quin etiam in miſeros animo tormenta furenti
Bellica dirigere, atque inopinam intendere cladem;
Quid juvat an plures ſimus hac regione profecti?
Sic profugos prima excepit, quam vidimus urbem
Natalem; Sitias hæc non præviſa parabat
Damna ſuis, certa immeritam, & nil tale timentem
Aut prohibere aditu, aut ponto ſubmergere navem,
Et tuto hoſpitibus pro portu offerre ſepulchrum.
Non tamen hæc odio, ſed cæco errore peregit;

Dum

Dum cives ignara suos male credidit hostes,
Ad prædam & stragem Maurorum e littore missos.
Nos etiam miscere dolos, turbare quietem
Fama loquax, multoque infectos crimine finxit.
Sed nos deerat adhuc Maura de stirpe vocari
Prædones pelago errantes: dum talia fatur
Obvia cymba volat de littore missa propinquo
( Barcino littus erat ) dictis nauclerus amicis
Ille, inquit, Sitias locus est, sed inhospita vobis
Queis cælum meliora ferat, sat læta colonis
Fertilitate loci, & vino celeberrima tellus.
Vos ignara tamen si ferro ejecit & igne,
Quæ dona offerret Sitias nativa, ministret
Barcino; sit lassis generoso plena liquore
Amphora solamen, sit nostri pignus amoris,
Hæc ait, haud signis, haud nomine cognitus umquam
Et celer excessit, sic dextram extendit, at ipso
Delituit vultu, & nummos superaddidit octo
Forte alius, sic plura ferunt quoque munera cives.
Quatuor hastati juvenes mittuntur ab arce
Induti ferro, atque armis, non ore feroces
Herculeas referunt præstanti corpore vires.
Qua datur ingressus prohibent accedere quemquam
Intenti; lento figunt vestigia passu,
Concutit hasta solum, & sonitu tabulata resultant.
Non tamen elata prohibentur voce profari
Quotquot visendi studio per cærula parvis
Circumdant ratibus; tamen hic nova prælia surgunt,
Prælia majori vires fractura periclo.
Qui Latium quærunt, quos nunc novus expulit orbis
Pars magna heroum hic patrios habuere penates.
Attamen hos ferro Sitias ejecit & igne,
Barcino singultu, & lacrimis infracta dolosis
Corda quatit, mulcere animos & vincere tentat.
Mater adest, laterique soror juvenilibus annis
Mæsta genas, lacrimosa oculos, resoluta capillos.

Utra-

Utraque, & una vocat genitum, vocat altera fratrem:
Ah Matrem nosce, exclamant, ah nosce sororem,
Verte gradus, cur exul inops, miser esse laboras?
Verte gradus, tecum placidis felicior annis
Vita fluet, tectum sit mens habitare paternum.
Ille autem digito cælum ( dum talia dicunt )
Ostendit, vix pauca tamen, sed pondere plena
Subjungit, patrio ( mihi credite ) gaudia cælo
Nos majora manent, vera hæc consortia votis
Quæramus, regno nil nos sejunget ab illo.
Sæpe licet redeant, & talia prælia tentent,
Sponte dedere manus, victæ discedere gaudent.
Parte alia natum dictis urgebat amaris
Matris amor, binam ostendens sua viscera prolem,
Quamquam Heros verso contorsit lumina vultu
Defixitque solo, fratres situs ipse coegit
Cernere, nam summa navis supereminet arce,
Atque suos noscit similes in imagine vultus.
Illi autem ingenuo tollebant brachia nisu
Et charum, ah charum revocabant nomine fratrem,
Ast Heroa alium juvenili ætate disertus
Frater adit, prius ille monet, dein magna rogando
Dona offert; promissa addit, spes indicat amplas,
Damna futura notans mentem divellere firmo
Proposito tentat nunc vi, nunc supplice fletu.
Bis duo præteriere dies, cum surgit ab undis
Phœbus, & a patrio discedit littore pubes.
In clypeis nova signa micant, & gesta fideles
Aligeri aurato describunt omnia libro!
Dum tamen adspirat nautis levis aura Favoni,
Sævit ab adverso violentior impetus Euri,
Et nova Pallamo cogit trahere otia navem.
Xavier ut templum portu videt, ilicet inquit,
Hoc date, vicina ut numen veneremur in æde;
Ecce dies Domini ( sic usa indicere nomen
Christiadum pietas ) cur sacro adstare ministro

Non liceat, juſſumque Deo perſolvere cultum?
Dixit, at inſtabili vetitum diſcedere pinu,
Nec mora longa fuit, Nabathæaque regna tenebat
Eurus, & interea rabidas compreſſerat iras,
Unde Caput petiere Crucis, ſic nomine portus
Dicitur, hic juvenes blandi ſolatia vultus
Accipiunt, facilemque aditum gens obtulit ultro.
Jam tremulos de fune gradus deſcendere pubes
Conatur dextræ auxilio, atque inviſere gaudens
Templa Deum, verrit parvo liquida arva phaſelo.
    Ecce autem dux militiæ de turre propinqua
Increpat, & ventis & fulminis ocyor alis
Accelerat greſſus, voces, & brachia tollens
Littus adit; ceu qui ſtragem minitetur, & ictus
Vibrat agens baculum, & vacuas diverberat auras.
Inde minas renovat, furiiſque accenſus acerbis
Curſitat, & tremula vetat ultra accedere dextra.
    Ac velut egreſſas nativa a ſede columbas
Excipit ampla abies, ſedem parat obvia laurus,
Vitis amica arbos, expanſum in brachia robur:
Sic diviſa cohors viridantibus hoſpita ramis
Gaudet ovans, cum monte procul proſpectus ab alto
Accipiter liquidas velox interſecat auras;
Ergo omnes timido redeunt in tecta volatu,
Præcipites, & adhuc tuta ſtatione videntur
A tergo inſidias, & formidabile roſtrum
Horrere, ac ſævos, queis prædam eviſcerat, ungues.
    Haud aliter juvenes verſo in contraria lembo
Arripuere fugam, celeri ſalſa æquora remo
Percutiunt, nec conceſſa potiuntur arena.
Naucleri reduces verbis ſolantur amicis
Dum procul elatum baculum, & ſigna alta furoris
Obſervant, nam miſſa rapit convicia pontus.
    At vos, o juvenes, magnis gens nata triumphis
Sed quos non homines, ſed quos pia Numina tantum
Agnoſcunt, ſic vos patriis diſcedere regnis

Con-

Convenit, ut ſuperis cor firmius hæreat aſtris.
Hæc extrema dies infida per æquora nautas
Littoribus veſtris plures ſejungit in annos,
Hæc eadem fines paulatim abſcondit Iberos.
Jam Rhodanus tumido a læva ſeſe objicit alveo,
Sed fera tempeſtas infenſos cernere Gallos
Impedit, a ſævis venient ea lucra procellis.
Tartareus furit ipſe hoſtis, deſperat, & ardet
Iratuſque novas artes, nova pectore verſat
Conſilia, & juvenes ignarus flectere duro
Conſtantes animo, vellet ſubmergere ponto.
    Sed tamen incaſſum fremit horridus ore cruento,
Funeraque & ſtrages animo meditatur acerbo;
Tartareo non tanta hoſti conceſſa poteſtas,
Ut decreta Deum immutet, ſeriemque laborum
Aſperet, invigilant ſupero miſſa agmina cælo.
Viribus ærumnas, vireſque laboribus aptant;
Et merita ampla notant, æternaque præmia gaudent
Augeri, & mediis miſcent ſolatia pœnis.
    Nox erat, & cælo fulgebat luna ſereno,
Ac blande adſpirans inflabat carbaſa ventus;
Forte ducem navis Clemens in puppe ſedentem
Aſpicit, officiique memor de more ſalutat.
Extrahit ille tubum prius ore, & deinde reponit,
Nam ſimul alloquitur ſtatione immotus eadem
Flatque, reflatque ſimul peregrino e germine fumum;
Atque ait: ecce vadum ſubitis crudele procellis
Ecce vadum miſeris metuendum navibus inſtat.
Fundite corde preces, cælo pia fundite vota.
    Nautica turba audit voces, cingitque loquentem,
Nullaque teſtatur prædicere ſigna timorem.
Tum Clemens: liquida nil eſt incertius unda,
Nec qua proveniant inopino turbine venti
Noſſe datum, gracili mors tantum eſt diſſita ligno
Dum mare nauta ſecat; curis utatur, & arte,
Sed tamen ut valeat ſacra Judicis ora tueri

( Nam res ſumma agitur ) ſemper juvat eſſe paratum,
Nec tantum dum verrit aquas, dum carbaſa tendit,
Nam mors certa loco furit implacabilis omni.
Certa incerta ſimul mors eſt, timeamus oportet,
Et juvat ipſe timor, miſero dum vivimus orbe.
Vita quid eſt hominum, gracilis vaſto æquore lembus,
Quin etiam inconſtans, fugitiva & labilis unda;
Vita mare eſt, res plena metu, res plena tumultu,
Monſtrorum rabie, & ſævis agitata procellis,
Syrtibus, inque omni ſcopulis obnoxia paſſu.
Tum reliqui Heroes (nam cæna expleta loquendi
Jus dederat ) charo ſeſe junxere ſodali;
Caſtrius adſtantes poſtquam colit ordine nautas,
Felices, inquit, nautæ, ſua ſi bona norint.
Nam labor inſanus, duris cura anxia rebus,
Difficiles epulæ, noćteſque, dieſque regendo
Navigio expleti merita ampla acquirere poſſunt.
Utque Deo placuit pro me tot ferre labores,
Ipſe meos ſaltem veluti ſolamen amicum,
Divinos ſiſtam ante oculos. Si criminis expers
Ut commiſſa luat Numen mea crimina pœnas
Sponte ſubit, cur non patiar qui tanta patravi
Crimina? ſi renuit pœnas ignobile corpus
Quas offert male firma abies, & pontus, & unda,
Quas vitare nequit ſubeat cum fœnore pœnas.
Forte ſuos ſocios elegit ab æquore Numen
Quod placuit genus hoc hominum gens nata labori.
Dixit, & unanimes multo ſermone diſerti
Felices etiam nautas dixere ſodales,
Quod gravium ſeries non intermiſſa laborum
Admonet æternam miſeros optare quietem,
Admonet horrorem ſcelerum, commiſſa pavere
Crimina, pacatum precibus ſibi reddere Numen.
Ah infelices! ſi dum gravis ira procellæ
Bacchatur, forte in ſuperos verba impia jaćtent!
Aut rabidi furibunda, aut ſordida verba procaces!

Ah infelices! dum mors violenta minatur,
Si nimium epoto titubet mens ebria vino!
Ah infelices, ſi tot faſtidia paſſi
Venturas ſubeant æterno in carcere pœnas?
Eſt aliquid meruiſſe diu; ſubeundaque pœna,
Vel modo, vel quondam, cum ſpiritus exuet artus;
Felix qui varii congeſta pericula ponti
Apponit lucro: tenui ſolatia ſumptu
Magna parat; nunc dira pati, tunc ſede beata
Deliciis ſuperum dabitur ſine fine potiri.
    Hora ſonat præſcripta, ſilent; vox faucibus hæret
Concepto interclusa ſono, & penetralia quærunt.
At ſubito nigris denſari nubibus æther
Incipit, & nautis ſupra caput aſtitit imber
Cæruleus, mugit rauco ſtridore profundum,
Diffugiunt nitida aſtra, & inhorruit unda tenebris.
Bacchantur rapidi ſtudia in contraria venti,
Eurus atrox Zephyrum, Boream ferus impetit Auſter;
Bella gerunt, neſcit Domino cui pareat unda
In mentes agitata altos, valleſque profundas,
Fulmina præcipiti ſerpunt ſinuoſa volatu,
Horrorem adjiciunt tonitrus, abſcindere ſunes
Accurrunt nautæ, laxataque rumpere vela;
Tam celeri renuit tranſverſa antenna labore
Dimitti, nunc hos Ductor, nunc excitat illos,
Vox tamen a rauco ventorum turbine fertur;
Illi autem invigilant celeres, diroque flagello
Accipiunt inimicum imbrem, nec figere poſſunt,
Qua magis urget opus, tuto veſtigia greſſu.
Inclinata ratis tremula vertigine nutat
Et latus oppoſitum fluctus bibitura revolvit,
Secum una pugnat, partes agitatur in omnes,
Impetere hanc tantum pelagi gravis ira videtur.
Luxerat orta dies, neque adhuc cognoverat ortam
Turba vigil, tanta horrebat caligine cælum;
Quin etiam giro emenſo bis circuit orbem

Lucifer, explevit curſum bis Luna minorem,
Nec potuere dies nautæ, neque noſcere noctes.
In brevia, & ſyrtes, cum verberat impetus undæ
Impegiſſe putant, nec qua regione ferantur
Obſervare datur jactatis gurgite vaſto.
Nautæ incompoſitos gemitus, & præſcia mortis
Non bene conceptis fundunt ſuſpiria verbis.
Tempeſtas artem ſuperat, duroſque labores,
Siqua fuit, jam navis adeſt ſpes nulla regendæ,
Nulla ſalutis adeſt, nil jam tentare juvabat,
Plura tamen tentant quamvis incongrua; vitæ
Uſque adeo amiſſa jam ſpe retinemus amorem!
Forte aliquis rapida jam jam mergendus in unda,
Impias ſacrilego convicia protulit ore,
Et queritur ſurdos hominum ad ſolatia Divos.
At taceas, precor, alter ait, qui verba propinquus
Audiit, egregii juvenes qui nave vehuntur,
Longe alios docuere ſonos, pietatis amorem
Tunc magis augendum ſummis docuere periclis;
Quæque monent, reddunt exemplo, ut ſæpe notaſti,
Utiliora ſuo; dicturus plura rapaci
Dividitur fluctu, dextra arripit inde rudentem
Stratus humi, ne forte volet reſupinus in æquor;
Dum mage bacchantur ſævo maria alta tumultu,
Et fera tempeſtas violentior explicat iras,
Pax beat Heroas ſummo tranquilla periclo;
Inflectunt genua, & quamvis revolubile corpus
Undarum impulſu partes jactetur in omnes.
Mens immota manet, nil certæ occumbere morti
Æſtimat, aut placidum producere longius ævum.
Numinis arbitrio ſeſe committere gaudent,
Orant, quod placeat ſuperis, & ſponte quieſcunt.
Ipſe tuos ſocios procumbere cernis Joſeph
Ante pedes, veniam poſcunt, commiſſa fatentur,
Numinis ipſe vicem peragis pro Numine judex.
Tanta Sacerdotem decorat conceſſa poteſtas!

Ca-

Caſtrius hinc dextra arripuit Venerabile Numen
Affixum ligno, reliqui arripuere ſodales,
Atque ait, o ſocii, documenta ſalubria tempus
Spargere nunc poſcit; ventum ſpernamus & undam,
Communis quærenda ſalus; gens nautica nobis
Inſudat, ſic nos illi inſudemus oportet.
Nunc illam immenſos cogit ſuperare labores
Ingenioſus amor vitæ, tamen altera cunctos
Vita manet, quæ fine caret, quam reddere noſtro
Pendet ab arbitrio aut inter conſortia Divum
Felicem, aut miſeram in flammis, niſi ſupplice fletu
Curemus, dum tempus adeſt, abſtergere ſordes.
At ſi tantus amor fugitivam extendere vitam,
Pendite, quam potius curas æterna meretur.
Ecce tui ſenior, potes exercere ſupremi
Jura miniſterii, verbiſque potentibus uti,
Et veniam ſcelerum juſto impertire dolori.
Nos monitis revocare animos a turbine rerum
Diſtractos, ſuperiſque incendere pectora flammis.
Dixit, & una omnes navis tabulata requirunt;
Jam latebras, jam proram adeunt, jam puppe vagantur,
Et nomen Mariæ repetunt, & nomen Jeſu,
Quem dextra elatum pendentem ſtipite monſtrant;
Divinam oſtendunt faciem, fonteſque ſalutis
Vulnera quinque notant; quod lancea fixit acuta
Pectus, & interius ſedem patefecit amoris,
Perfugium cæleſte vocant, a Numine Summo
Pignus amicitiæ oblatum mortalibus ægris.
Semina jacta animis Divino perlita rore
In magnam excreſcunt ſegetem, indefeſſus Joſeph
Collectam a ſociis cæleſtia in horrea mittit:
Cernere erat lacrimarum imbres, gemituſque dolentum,
Nec modo jacturam nautas curare caduci
Temporis, in cæloque omnes defigere curas.
At caput extulerat tenebrarum Rector ab undis,
Ereptaſque ſibi prædas intentaque Divis

Vota hominum, irati lucroſa pericula ponti
Vidit, & indoluit ſævam moviſſe procellam.
Sed magis indoluit cum geſta illuſtria vidit
Aligerum conſcripta manu; nam cuncta libellis
Auratis poſt fata etiam ſervanda notantur.
Nec minus Aligeri juvenum latera omnia cingunt
Pars tacite alloquitur, dicendaque ſuggerit auri,
Pars faculas cordi, & cæleſtes applicat ignes.
Obſervat juvenes læto pars altera vultu,
Et voces, ſed quas tantum penetralia cordis
Excipiunt, interdum addit; ridete procellas
Oh juvenes, inquit, merito nova gloria veſtro
Deerat adhuc, noſtris reſpondent omnia votis;
Nos pelagi inſultus, tempeſtateſque jubemur
Et quæcumque Erebus moveat cohibere pericla.
Seſe irrideri cognovit Rector Averni,
Et dum ſe pelago deſperans mergit in alto
Horrendum fremit, & fremitu vacua ampla reſultant.
Dumque novos tonitrus timuit Nauclerus, utrinque
Ad latus antennæ flammas lucere volantes
Vidit, & augurio lætus, jam vicimus, inquit,
Sæva procella fugit, fugiunt mota æquora venti.
Subriſit Clemens; alio eſt a fonte petenda
Sors, quam fallaci vultis deducere ſigno,
Addidit, & cælo grates ſolvamus oportet,
Caſtrius exclamat; genibus dein nautica flexis
Turba Deo grates miſſa prece ſolvere curat.
Et mora longa fuit, prono præceſſerat ore
Caſtrius, atque omnes alterna voce ſequuntur.
Inde preces iterant alta ſub puppe recepti
Heroes, multoque incenſi pectus amore,
Immenſum omnipotens æternum Numen adorant,
Tum grato coluere animo, queis plurima debent,
Aligeros primum, reliquoſque ex ordine Divos.
Et jam nocturnas cælo diſſolverat umbras
Purpureis Aurora comis, placataque ſidunt

Æquo.

Æquora, quin volucrum mulcebant aera cantus
Aura levis puppim impellit, viſumque per undas
Delphinorum agmen volitantem cingere navem:
Nunc feriunt proram, celeres nunc puppe recedunt
Nunc procul abſiſtunt, feſtoque per æquora gyro
Nunc latera invadunt, & ſe velut agmine facto
Agglomerant, ſic mille jocos & mille choreas
Undique feſtivis turmatim aſſultibus edunt.

Nec procul aſpiciunt frondoſa cacumina, montes
Oppidaque, & longam mediis in vallibus urbem;
Nautarumque aliquis, quam cernitis inſula, veſtro
Quondam, inquit, tamen eſt Italo nunc ſubdita regi,
Caſtrius accurrit, Sardamque in litore gentem
Proſpicit, oh utinam nobis quæ proxima tellus
Cingitur Oceano, faciles, ait, hoſpita portus
Concedat! reddet, nec ſit mora longa, beatum!
Nuper enim ſedes noſtræ fuit illa cohortis;
Oh ſiqua inveniam charæ veſtigia turmæ
Forte impreſſa ſolo; madido figam oſcula vultu,
Et quamvis tremulam tardet reverentia dextram
Abradam, paſſu ne ſint calcata profano.

Hæc ubi dicta, oculos læva deflectit & altum
Findere aquas montem ſaxo proſpexit acuto:
Interius nuda expectant nemora ardua frondes,
Et jam veris opes tenerum jactare virorem
Incipiunt, reducis jam ſpargunt ſigna juventæ.
Caſtaneis regio late fœcunda videtur,
Planities fœcunda mero, nam turget apricos
Diviſa in colles, extant longo ordine pali
Tranſverſi, fixique ſolo, queis flexilis arbos
Nunc junco defixa hæret, ſed protinus altrix
Vitibus indulget funes natura tenaces.

Africus Heroum curas, & vota ſecundat,
Ajacium patet ante oculos, ubi gallica terrent
Arma viros, ſparſæ ſervabant littora turmæ,
Et gentem inviſam riſu aſpexere maligno,

Insultant, vultusque truces, & ferrea produnt
Pectora; at optata paullum consistere terra,
Instaurare sinunt vires ambage viarum
Depressas, recipitque piis gens Corsica donis
    Hic plures qui sacra eadem vexilla sequuntur
Sorte pari ejectas læti videre cohortes
Currere in amplexus, & prodere gaudia vultu
Aspiceres; vestis, quam non habuere, dolentes
Excitat affectus, sed cogit amare sodales
Non pridem visos, nec adhuc a nomine notos.
    Accessere omnes quotquot regione propinqua
Vestis amor charum exilium subiisse coegit
Atque humiles habitare casas sub paupere tecto.
Multa super sociis rogitant, super æquore multa,
Quæ vada sulcarunt, quo sint ex orbe profecti,
Quas passi terra ærumnas, pelagove procellas
Tum quos orbe novo, aut portu liquere Menestei
Jesuadas? quæ causa etiam, quæ meta viarum?
Quis furor invitos sacro spoliavit amictu?
Ac dum responsa excipiunt hinc inde loquentes
Ad sua certatim juvenes habitacula ducunt,
Atque ibi Mexiacos latices postquam igne calescunt
Supposito in cyathos agitato turbine versant.
    Plurima quæ sponsum legit sibi fœmina Numen
Clausa quidem mundo, sed jam velut hospita cæli
In qua virginitas dos est, & candida virtus,
Ut primum accepit (neque enim vidisse licebat)
Adventasse viros pro cælo, & Numine passos,
Prodiga fundit opes, quas tempora dura relinquunt
Et propriis manibus mittendas concoquit escas,
Et reficit vestes, & quæ studiosa voluntas
Indagare valet, fessis solatia quærit.
    Sed levis aura vocat, pellensque a puppe carinam
Increpat usque moras; impulsu afflanda secundo
Vela petit; terra discedere cogit amica,
Inde etiam quotquot Jesu vexilla sequuntur

Pro-

Protinus excedent, omnes vocat Itala tellus;
Eja agite: aspirant vestris placida æquora votis.
Qua Ligurum montes erecta cacumina cælo
Urbe procul domina reducis cunabula Phœbi
Prospectant, fecere cavo circumdata gyro
Lunensem maria alta sinum; tenet anchora tutas
In medio classes; duplicem parat insula velis
Ingressum, & gratos præbent salsa æquora potus,
Nam vastas illudit aquas, quæ dulcis ab imo
Unda salit fundo, servatque intacta saporem,
Si recta immittas implendum fonte lebetem.
Urbs antiqua fuit, fines qua cernis Hetruscos,
Inque sinu nomen retinet, nam cætera tempus
Abrasit, nec signa modo, aut vestigia noscis.
Parte alia Veneri templum sublime ditavit
Prisca superstitio; nunc arx in vertice montis
Navibus invigilat; statio bene fida carinis
Littus habet, vastumque intus videt æquore portum
Hic tandem, oh juvenes, post tot discrimina rerum
Cernitis Italiam; non est via longa per undas,
Et dabitur veterum sedes intrare Quiritum.
Cernitis Italiam, qua dulcis meta laborum,
Qua durum exilium, at longis optabile votis
Eligitur, non tam largas ad munera dextras,
Non cura vigilante Petrum, non corde Joannam
Magnifico nova regna dabunt, non altera demum
Sedula maternis angetur Borgia curis.
Sed tamen hic sedes locus est habitare quietas
Sub duce quemque suo, & tranquilla pace mereri.
Non tamen hic navem casu adventasse putetis,
Mons etenim rapidus quem nunc vidistis euntes
Surgentem e pelago, montisque in vertice calles
Præcipites, scopuli immanes, atque invia saxa
Sunt via, qua vestræ vos præcessere cohortes.
Hanc reptare senes per tot dirupta coacti,
Hanc clari tenuere viri, atque animosa juventus.

Proh quantus ſudor talos manavit ad imos!
Dumque aliis opus eſt duro requieſcere ſaxo
Ille cadit, ſociumque manu trahit inde juvantem.
Ille via ſiſtit media, dubioque viarum
Genua labant, tremulos quatit æger anhelitus artus;
Nec via, nec regio nota eſt; formidine creſcit
Ipſe labor, latet incerti quoque meta laboris.
Et portum (vidiſtis enim, & memorare poteſtis)
Difficilem, qua vix parvam tenet anchora cymbam,
Hi primi tenuere, & inhoſpita littora Gallus
Seligit, ut primum exilii mutare coegit
Hoſpitium, & Latias crudelis vexit in oras.
Nam ſimul unitos parvis ſine tegmine cymbis
Incluſere viros, tenuem graveolentia victum
Salſamenta dabant, violentam parca valebat
Irritare ſitim, ſed non extinguere lympha.
Nocte dieque jacent, ſed nec locus ipſe jacendi
Suppetit, hic flexa ſtando cervice recumbit,
Alter in alterius declinat pectore collum;
Suſtinet ille caput manibus vertigine nutans,
Sunt humeri fulcrum, fulcrum ſunt crura ſodalis.
Quid memorem interea radiis ſolaribus uſtos?
Quid rapida pluvia, aut nocturno rore madentes?
At cum præcipites inducunt frigora venti,
Imbre flagellantur ſalſo, modo grandinis ictu
Percuſſi ſolas poſſunt opponere dextras.
Sic octo fluxere dies, & littore nudo
Projecta aſpiceres octo centena virorum,
Qui magnum argenti coguntur ſolvere pondus.
Nam repetita quater pars eſt milleſima ſummæ
Uncia; tam dira lictores lege minantur.
Vos decet, o juvenes, quibus eſt in nave poteſtas
Multa licet paſſi paſſos graviora vereri;
Sed navem mutare juvat, namque iſta recedet,
Abſolvitque fidem, & Latio vos littore ſiſtit.
Alter erit Nauclerus, & altera quæ vehat Argo

Dilectos Heroas, erunt etiam altera gesta
Nobile venturis ea vatibus argumentum.
Jam sol a media pronus deflexerat arce,
Cum Zephyrus placidas humeris accommodat alas,
Et blande illapsus motis obmurmurat undis;
Mole minor, sed forma agilis dat carbasa vento
Navis, & accepto deferri pondere gaudet.
Est in conspectu Tyrrhenæ gentis ad Austrum,
Littore si medio observes, ditissima ferro
Insula, præcipuum quo signat nomine portum.
Huc se contulerant juvenes, cum ventus, & unda
Substitit, inque mora cogit tres visere soles.
Quatuor Heroes terra potiuntur, & idem
Subsequitur numerus, numero redeunte priori;
Hæc præscripta piæ dantur solatia genti.
Donec ab oc iduis afflare Favonius oris
Incipit, & terram nautis ostendit Eoam.
Est locus ad Centum pelagi curvamine Cellas,
Portum ubi construxit Romana potentia tutum
Classibus, & frœnum imposuit bacchantibus undis.
Huc tandem appulsos lacrymis excepit obortis
Heroas populus, prodit quoque signa faventis
Non obscura animi, & resonant circum omnia plausu.
Nam fama expansis illos præcesserat alis
Docta inflare tubam, & juvenum merita ampla notarat:
Ecce autem ut primum Romani Præsulis urbem
Ingressi tenuere solum, dant oscula glebæ,
Et superis grates tanto pro munere solvunt.
Castrius oh Comites, inquit, dulcissima pubes,
Jam curæ insomnes, jam turba molesta timorum,
Ancipitesque abiere metus, vestigia tuto
Jam pede calcamus; jam non vitare dolosas
Cogimur insidias; fugitivum ut Borgia Kostkam
Jesuadum excepit gremio, nondumque profanis
Vestibus exutum sacro decoravit amictu.
Sic nos ire licet, summoque a Præside longis

Quæ-

Quæſitum exiliis, ſimilem quæramus honorem.
Hinc cæleſtis amor qui nos conjunxerat, idem
Dividet, & propriæ jungemur quiſque cohorti.
Cymba parata moras renuit, per Tybridis undas
Non opus eſt vento, vincet cita palmula fluctus.
Hæc ait, & dicto citius generoſa juventus
Conſcendit cymbam, littuſque adlambere primum
Remorum auxilio gaudet; ſed pellitur Auſtro,
Cum flectit clavum, & pleno ſubit oſtia velo.
Aſpicite (hac Clemens recreabat voce ſodales)
Aſpicite ut ſalſis amittit nomen in undis
Dictus honor Romæ, dictus regnator aquarum
Tybris, & impatiens ſiſti ſine lege ſuperbus
Ripam indignatus, rapido petat amne ſepulchrum?
Sic ſæpe in noſtrum non evitabile damnum
Currimus incauti, cum plus confidere noſtris
Viribus, atque minus nobis timuiſſe videmur.
Gloria ſic mundana perit, Vincentius addit;
Flumina ab Oceano rivis collecta minutis
Proveniunt, Franciſcus ait, patrioque recedunt
Irrequieta antro, pelagoque recepta quieſcunt.
Sic quia principium ſupremo a Numine duxit
Mens hominum, abjicitur terrenis anxia rebus;
Vana extra Numen ſolatia quærit, & errat
Ni tandem obtineat felicem in Numine metam.
His pectus ſatiatur aquis, hæc corda voluptas
Demulcet, dignaque Deo dulcedine noſtrum
Semper inhexauſtis animum torrentibus implet.
Talia dicta dabant, parvos cum Caſtrius orbes
Exerit inſertos filo, queis norma precandi
Divinam Matrem numero præſcribitur apto.
Sic certas iterare preces intenta fideli
Officio dextra, & conſuetas ordine laudes
Metiri valet, ac denis interſerit altam
Orandi formam, quam nos Regnator olympi
Edocuit, noſtro quondam cum vixit in orbe.

Atque ait, hanc lucem quæ jam declinat, avita
Chriſtiadum pietas magnæ obſequioſa parenti
Sacravit; fuit illa orto lux ſeptima mundo,
Et nomen ſibi ſervat adhuc, intendite mentes
In cælum, elata præcedat voce Joannes;
Una omnes, nautæque ſimul, ſociique ſequemur.
Dixit, & alternis precibus quas ſupplice vultu
Conjungunt, Divam implorant, & laudibus ornant.
At properare videns adverſo flumine cymbam
Neſcio quis, noſtram defers, nauclere, ruinam
Clamitat, & ſacram contagia ducis in urbem.
Eſt locus inflexi ſinuoſo in margine Tybris
Terra ferax culicum, & limo male ſana paluſtri,
Tecta ubi ruricolæ ſibi conſtruxere coloni.
Moribus invigilat venerabilis ore ſacerdos,
Et ſacer orator ( nam tunc ita tempora poſcunt )
E roſtris populo ſpargit documenta ſalutis.
Seſe ille addixit ſub paupere veſtis amictu
Præceptis, Franciſce, tuis, Pater optime gentis
Innumeræ, quinque impreſſit cui ſtigmata quondam
Dius amor; renovata Dei patientis imago
Arguis ingratos, & calcar amantibus addens
Cæleſtes noſtro ſuccendis pectore flammas.
At funes nautæ emittunt, cymbamque propinqua
Arbore firmarunt, quod jam nox humida cælo
Præcipitat, ſuadentque cadentia ſydera ſomnos.
Sumpturi juvenes ſub panis imagine Numen
Delicias animi, & rebus ſolamen amaris,
Mane adeunt templum: venit obvius ipſe ſacerdos,
Excipit, obſequitur, laudat, teſtatur amorem,
Veſte ſacra induitur, cæleſtem dividit eſcam
Et ſe felicem reputat, nec cedit honori.
Inde rogat templo aſſiſtant, dum fulmine vocis
Exagitat vitia, & monitis gens ruſtica ſanctis
Inſtruitur: vultu Heroes ſedere modeſto.
Tum ſacer orator juvenum merita ampla recenſet
Atque

Atque undas ſuperaſſe notat, notat igne probatos;
Arguit averſos animo, nam veſpere lapſo
Mordacis forte audierat convicia linguæ,
Peſtiferumque virum dictis objurgat amaris.
Tandem extrema dies oritur, qua tertius anni
Menſis abit, qua magna oculis ſe Roma videndam
Objiciet, remo inſudant nervoſa lacertis
Brachia, diffugiunt ripæ, jam ſeptimus urbem
Denotat infixus campo lapis eſſe propinquam.
Caſtrius, oh comites, inquit, nil tale merentem
Si regere Imperii vos me voluiſtis habenas,
Quem nullæ dotes, nulla experientia dignum
Formarat, non iſta dehinc provincia veſtro
Pendet ab arbitrio; dignos optata reſervat
Roma duces, reddo arma meis non viribus apta.
Invito vos ante duci, nunc ſponte ſodali
Parcite; ſi ſæpe irrepſit culpabilis error,
Non cordis, ſed mentis erat; jam ſupplice vultu
Et genibus flexis veniam lacrymabilis oro.
Nunc ego præcedam, & juvenem comitetur Joſeph
Emeritoſque Patres vos adventaſſe monebo.
Cum tamen impietas ſancta non exulet urbe
Et vafra commoveat donis mutabile vulgus
Diviſos cymba exire, atque inducere cymbam
Obſcura jam nocte juvat, quique omnia ducat
Obvius accedet; renuentes pergite fluctus
Scindere, multiplici gyro via longior inſtat.
Hæc ait, & lacrymis reddunt reſponſa ſodales:
Egregii juvenes, non ſunt mea carmina tanti,
Ut Romam ingreſſos Tyronum ad templa ſequantur.
Quis dulces juvenum ſenſus, quis mutua Fratrum
Gaudia mortali poterit deſcribere cantu?
Vos ſuperi cives, teneræ cuſtodia pubis,
Dicite ut Heroas ſacram vidiſtis ad aram,
Exuviis ubi Koſtka ſuis invitat amantes!
Dicite delicias animi, atque incendia cordis,

Quotque impreſſerunt felicibus oſcula ſaxis,
Quæ dulci ſimul imbre rigant. Penetralia quærunt
Chara polo; jacet hic pario de marmore Koſtka
Stratus humi; exhilarant cæleſtia gaudia vultum,
Dius amor pia corda ferit; moriturus in aſtra
Advolat, & patrio defigit lumina cælo,
Lumina, nam dextram Jeſu patientis imago
Occupat, & ſcriptæ pretioſo in codice leges;
Ut ſaxo vox una deeſt, vox defuit una
Koſtkæ etiam; tantum noſtris verba auribus apta
Mors rapuit, moriens vitam ſpirare videtur,
Atque loqui qua voce animus ſuaviſſima ſiſtit
Vota Deo; & puros tacitus manifeſtat amores.
Hæc fuit illa domus vobis quondam hoſpita ſedes,
Aligeri, qua flamma volans per tecta, per ædes
Monſtrabat Koſtkæ ardorem, & commercia Divum.
Hæc domus eſt, ubi Diva Parens in imagine chartam
Reſponſura ſinu excepit, qua Koſtka triumphum
Virginis Auguſtæ, ſuperum plaudente ſenatu,
Mirari rogat ætherei novus incola regni.
Koſtka quidem dignus, Mater cui traderet olim
Divinum Infantem, ut dulces obſtricta viciſſim
Brachia in amplexus ægro medicamina ferrent.
Dignus & Aligeros oculis mortalibus æger
Cernere, præſidium, & Divina alimenta ferentes.
Barbara præceſſit dux tanti & nuntia doni.
Felices juvenes! quacumque advolvere greſſus
Contingit, nova ſigna movent pietatis amorem,
Occurrunt veſtri monumenta perennia Koſtkæ.
Quid referam amplexus, & ſigna reciproca charos
Inter Tyrones! ſeu quos novus expulit orbis,
Seu quos Roma ſinu nutrit! minus inde mereri
Contendunt, qui veſte carent, qui veſte beantur;
Litem movit amor; ſed adhuc ſub judice lis eſt,
Nam ſua quiſque tegit, ſocii merita ampla recenſet.
Quid referam ſummo juvenes a præſule viſos?

Aſpectu facilis, viſuque affabilis omnes
Excipit, aſt illis quanta eſt reverentia vultu!
Ante pedes tremuli cecidere, atque oſcula dextræ
Imprimere exoptant, dextra complexus eadem
Erigit, & miros terraque, marique labores
Commemorans, quam dura ſcidit violentia veſtem,
Reſtituit, laudatque animos ſervaſſe fideles.
Hinc monet ut ſuperum auxilio maturior ætas
Conſolidet, vegetaſque obfirmet pectore vires.
 Pignora quid referam tanto dilecta Parenti
Ante aras, Loyola, tuas? velut æquore vaſto
Parva ratis, mens obruitur, vox faucibus hæret.
Nota inflammati vobis ſenſa intima cordis
Oh juvenes, mira quadam dulcedine vobis
Poſſe frui, conceſſum, haud poſſe exponere verbis.
Dumque ſolo ſtrati juvenes ante ora Parentis
Auxilium veniamque rogant, a Fratre vocantur
Dextra qua quondam abluerat luſtralibus undis
Millia mille vices hominum, & bis millia centum;
Hic bene cognoſcunt fratres vix poſſe vocari,
Nec mare, nec terras memorant, nec longa viarum
Tædia, nec duros ultro ſubiiſſe labores.
Erubuere tamen, ſacras & Xavier aras
Ante tuas, tua clara ſequi veſtigia poſcunt.
 Nec procul hinc moles ſtudioſæ erecta juventæ,
Muſarum domus, atque urbis commune lyceum,
Auguſtis Loyolæ aris, & Numine ſacrum.
Ætherei hic genii ſpirantem in marmore cingunt
Undique Aloyſium. (vix talis in arte poteſtas,)
Quam pia ſenſa movet, ſuperoſque inſpirat amores!
Nunc licet, o juvenes, oculos attollere; veſtrum
Inſpicite exemplar, morumque in imagine normam.
At qui felici cineres clauduntur in urna,
Neſcio quid divinum afflant, veſtroſque ſub ara
Intuitus revocant; jactas in corde ſagittas
Excipitis. ſed tempus erit quo tecta beatis

Dilecta Aligeris lente obſervare licebit,
Quæ quondam incoluit Lodoix dum vita manebat;
Nam modo Tyrones opus eſt Tyronibus addi.
Nec ſatis eſt nuper ſolo dignoſcere vultu;
Solliciti expectant, propriaque in veſte reviſent,
Amplexu excipient, veſti mille oſcula figent.
Sed jam vos duxit ſecura in littora vates:
Sub duce quiſque ſuo, ſeu ſit maris æquor arandum
Ductus erit, ſeu bella Erebus renovanda minetur.
Si ſine nauclero navis, ſine remige puppis
Evaſit ſyrtes, riſit maria alta procellis,
Si ductore carens vicit fera prælia Tyro,
Victor & in clypeis tot geſta illuſtria pinxit,
Quid miles veteranus aget? quid doctus ab uſu
Navita! quæ poterunt objecta pericula pectus
Frangere, ut intrepidum magnos præluſit ad auſus!
Ite animæ fortes, veſtras properate phalanges
Solari, ſeu quam mediis tenet Umbria ſaxis,
Sive per Æmiliam ſparſas, perque oppida & urbes,
Qua via principium ducit regnantis ad undas
Eridani, rura Adriaco notiſſima ponto.
Hactenus hæc cecini, cum noſtram extinguere gentem
Borbonico poſcunt magni de ſanguine Reges:
At renuit Clemens, cui tantum a Numine ſummo
Arbitra confertur rerum tranſmiſſa poteſtas;
Pœna dolor curæ vitalia ſtamina rumpunt,
Subſtitui tamen ipſe parem, virtute probatum,
Conſtantemque animo cæli novus incola poſcit.
Et qui corda movet, qui regibus imperat alto
E ſolio, & vobis tanto in diſcrimine mirum
Præſtitit auxilium, forſan vos juvit, ut idem
Deſerat, & miſeros hoſti ludibria tradat?
Quærentes lege obſtringi ſine lege vagari
Permittet? dabit in prædam nil tale merentes?
Abſit ut hæc Domino fingam tribuenda benigno.
Forſitan Omnipotens voto indulgere precantis

Differet, & laceram ventos submergere navem
Jactabit sæva impietas; sed amabile quamvis
Differat auxilium, præsens in tempus omittet,
Dum minus expectas, ut plus confidere discas
Cum desperatis coeunt damna omnia rebus;
Forsitan extinctam dabitur lugere Parentem
Oh juvenes; sed vivet adhuc composta sepulchro;
Sic quondam Deus ipse suis prædixit amicis,
Cum teneram adjuvit signis, dextraque potenti;
Nosque sui similes voluit, sociosque vocari,
Et vexilla dedit, qui victa a morte resurgit,
Passus acerba prius. Tibi certe injurius essem
Summe Deus, si fraude Erebi, mediisque nefandis
Pertimeam, ut pereant manuum opera alta tuarum.
Hæc spes me recreat, recreant suavissima quondam
Edita mille locis Divinæ signa Parentis.
Vestrum erit, oh juvenes, superum nova dona mereri
Interea instaurate animos, apponite lucro
Otia, venturis numquam decrescite factis,
Quin magis, atque magis cælo vos reddite gratos.

*Finis Libri IV. & ultimi Heroum.*

# AD HEROAS EPISTOLÆ.

** ∽∽∽∽∽∽∽∽ **

## EPISTOLA I.

### DILECTIS FRATRIBUS

*In dominiis Magnæ Ruſſorum Imperatricis mirabili Dei Providentia exiſtentibus.*

KAL. SEPTEMBRIS MDCCLXXXIII.

PArvus Hyperboreas ſine me, liber, ibis in urbes
  Hei mihi! quo domino non licet ire tuo.
Nam me longa ætas, & qua ſum natus in ora
  Impediunt fratres inter adeſſe meos.
Qui ſumus infenſis olim ſub Regibus orti,
  Extingui Matrem qui petiere meam,
Prævia Regnantum niſi ſit conceſſa facultas,
  Nobis præſcripta cogimur eſſe plaga.
Quin etiam ad ſegetem veſtris regionibus amplam
  Meſſores magnis viribus eſſe juvat.
Non adeo ingentes poſſent perferre labores,
  Qui numerant vitæ luſtra peracta novem.
Glorior in gremio totidem duxiſſe Parentis:
  Dulce eſt felices commemorare dies.
Tunc ego deflebam curis tria luſtra profanis
  Exacta, ut pariter nunc duo luſtra fleo.
Non ego credideram tantas in turbine vires,
  Navis ut iratis obrueretur aquis.
Ipſe ſolet placida ſpirare Favonius aura,
  Attamen in nautas ſævior ille fuit.
Una putabatur ſtatio bene fida carinis,

Qua mille in ſtragem fulmina miſſa volant.
Omnia jam fient, fieri quæ poſſe negabam:
Pauca loqui tempus, cuncta timere jubet.
Naufragium vobis tantum commune pepercit;
Suſtinuit parvam dextra benigna ratem.
Dextra benigna quidem, ſed quam facit ipſe potentem
Omnipotens, nobis qui favet ejus ope.
Vos ego contemplor tuto requieſcere portu;
Nos tumidum infidis ſyrtibus æquor habet.
Vivite felices, quibus eſt fortuna parata:
Vivite, ſed memores vos precor eſſe mei.
Namque licet plures rapidis periere ſub undis,
Relliquias noſtræ littora gentis habent.
Quamlibet errantes animum ſervare fidelem
Gratulor, & Matrem commemorare ſuam.
Sed cum jura mihi ſtatuam meliora favere,
Hoc titulo vobis annumerandus ero.
Namque ego pendentem cernens inſtare procellam,
Mentis inops, curis irrequietus eram.
Sæpe abii in lacrymas, fudi ſuſpiria cælo;
Sed medicina meo non erat apta malo.
Plurima ſum ( fateor ) conſtanti pectore paſſus:
Major erat noſtris viribus iſte dolor.
Rebus in anguſtis ſatis eſt ( Loyola docebat )
Si quadrante horæ ſiſtimus ante Deum.
Divino alloquio diſces ad acerba paratus
Conformare animum Numinis arbitrio.
Borgia ſic docuit, ſic Magna Thereſia natis
Inclyta, fœcunda virginitate Parens.
Miror, at exemplum non eſt imitabile nobis,
Doctrina ſuperum noſcimus eſſe rudes.
Forte, oh diſperſi fratres, virtute probati,
Mitius hoc vobis vulnus ab arte fuit.
Aſt ego nec gemitu, nec fixis Numine curis
Mœrorem potui diſſimulare meum.
Tu lenire potes, dixi, placabile Numen,

Hoc animi vulnus quod ferit ima mei:
Inde indulgenti dextra ad confinia cordis,
Extrahat ut latices, vulnera fecit amor.
Et calamo expoſuit, quæ ſcribere vota parabam:
Charta triplex ſimili ſcripta cruore fuit.
Me verum ſemper Loyolæ agnoſcere natum
Firmavi, & ſtrictum legibus eſſe ſuis.
Servandum fateor quidquid decernit ab alto,
Numinis in toto qui gerit orbe vices.
Qui jubet externam rebus præſcribere formam,
Non amat internis me ſpoliare bonis.
Solvere vincla poteſt, ſed non quæ ſponte reſumo,
Si noſcam æterno poſſe placere Deo.
Si voveam miſeris ſuccurrere ſemper egenis,
Tollere onus voti, non prohibere poteſt.
Forte tacere jubet, ſocios diſpergit; utrumque
Fiet, at in leges fulmina nulla cadent.
Paſtores ſummi, & juncti toto orbe fideles
Has dignas ſummis laudibus eſſe notant;
Matre Dea dictante ipſas Ignatius olim
Scripſerat, & cæli ſigna probantis habent.
Si reditus, & tecta aufert, Dux Maximus olim
Jam plura enumerans agmina, pauper erat.
Otia præſcribet; ſed cum tamen ipſa jubentur,
Otia ſunt merito juſſa, laborque pari
Jeſuadum noſtris ſi ſint conſortia terris
Deſtructa, & nulla detur in urbe locus:
Jeſuadum pars ſemper ero; ſub Præſide vivam
Si quis in Italia rite receptus erit.
Hæc mihi per menſem, dum verba potentia ad aras
Profero, conſtanti ſunt renovata fide.
Summe Deus, Tibi ſenſa animi patuere voventis:
Sub ſpecie panis tu mihi teſtis eras.
Finibus Italicis utinam nova tecta reſurgant!
Nec mora, pars turmæ læta recentis ero;
Sive inter montes, ubi ſunt ſpelæa ferarum,

Sive ubi putrescit terra paluſtris aqua.
Nam mihi præ reliquis genialis habebitur ora,
Qua socius potero fratribus esse meis.
Integritas erit ante fores, pax aurea, candor,
Almaque regnabit pacis amica quies.
Iſta solent vobis dulces quoque reddere curas,
Gaudiaque in medio nata labore fluunt.
Hos satis expertus metuit sibi tartarus hoſtes
Sollicitus nocuos spargere ubique dolos.
Sed si Jesuadis præscripsit tempora Numen,
Irrita delusi cura draconis erit.
Si mihi reddantur laceratæ insignia veſtis,
Descriptum in cælis nomen habere reor
Qui tunc Fanensi Paſtor regnabat in urbe,
Ultro animi voluit conscius esse mei.
Nulli promisit reseranda arcana, sed aptus,
Prospera si veniant tempora, teſtis erit.
Tum chartam accepit, summo volat altera Patri,
Tertia reſtat adhuc pectore fida comes.
Uno fida comes servatur Epiſtola nexu,
Quam mihi Jesuadum misit ab urbe Parens;
Conſtantes animo natos, & ad omnia promptos
Laudat, & ampla animi signa dedisse sui.
Sed nullum tam clara animi monumenta dedisse:
Parcite, si meritis glorior ipse meis.
Has ego dilecti laudes servare Parentis
Glorior: afflicto dulce levamen erunt.
Non ego fœcundum ingenium, non mentis acumen
Jactito; qua tumeam, nil mihi laudis ineſt.
Non ego profeci ſtudio pietatis, & ipsa
Luſtra novem misero tempus inane fuit.
Unica laus, canibus concessa fidelibus, omni
Sparsa loco, quam non dissimulare queo;
Matrem amo, quam tenero semper complectar amore:
Pressa afflicta exul, sed mea mater erit.
Hoc satis oſtendi, cum me Benedictus amavit,

Et

Et faciles aulæ cum patuere fores.
Cogitur heu Princeps alienis teſtibus uti!
Sæpe dolus latitat, quo minus eſſe putes.
Sic potuere aliqui ſinceram invertere mentem,
Noſceret ut fraudes, hæc mea cura fuit.
Annuit Omnipotens; quantum mihi gratia fulſit
Principis, in Matrem eſt tota refuſa meam.
Et monumenta meas extant teſtantia curas:
Noſter amor toto notus in orbe fuit.
Extitit & veſtris notiſſimus ille Polonis;
Me civem audivi ſæpe vocare ſuum.
Nulla placet ratio vivendi, nulla placebit;
Qua videar Matris degener eſſe meæ.
Sic me non tantum numerabitis inter amicos,
Fratribus ex veſtris jure notandus ero.
Sum procul, at vobis fraterno jungor amore,
Et mereor dulci fratris honore frui.
Non mea læſerunt Romanæ jura procellæ,
Quique prius fueram, naufragus eſſe queo.
Indicis ad calcem, quo nomina veſtra notantur,
Abſentis ſocii quid vetat eſſe notam?
Non locus, aut veſtis, nec inutilis officit ætas,
Immo favet; pietas nam favet ipſa ſeni.
Singultus lacrymæ gemitus ſuſpiria queſtus
Per longum exilii me comitantur iter.
Vita inviſa mihi, timeo confinia mortis:
Cuncta in mæſtitiam gaudia verſa fleo.
Quam facile eſt vobis noſtrum lenire dolorem;
Quam facile eſt lacrymas extenuare meas!
Nam ſi veſtra meum video inter nomina nomen,
Dulce mihi ſupereſt vivere, dulce mori.

## POST SCRIPTUM.

Conſpicuo obſervanda loco ſervatur in aula
Qua moror, Auguſtæ Principis effigies.
Hanc corde inſculptam gerimus, ſed imago ſuperſtes,
Quam ſua nos vinxit gratia, teſtis erit.
Quem poſui titulum, veſtræ ſubjungite Matri;
Nomen enim, per quam vivimus, iſtud habet.

---

# EPIGRAMMA.

PErdere Jeſuadas totus decreverat orbis:
Sed non conſilium Numinis illud erat.
Hinc decuit cælum dextram effeciſſe potentem,
Obluctante ſuas quæ gerat orbe vices.
Maxima Regnantum, Catharina, a Numine lecta.
Cæli inſtrumentum nobile, & orbis honor,
Unica Divinas meruiſti aſſumere curas,
Una tot armatas debilitare manus.
Quod niſu humano non ſit delebile nomen,
In cælo ſtatuit Numen, in orbe doces.
Imperio ſine clade tuo nova jungere regna,
Felices populos reddere mille modis,
Heroum eſt; ſupra Heroas, quod laudis honorem,
Et palmas tecum dividat ipſe Deus.

# EPISTOLA II.

## AD EOSDEM.

*Mittit duo Epigrammata ad Auguſtiſſimos Principes Ruſſiæ, & carmina panegyrica ad effigiem Magnæ Catharinæ Ruſſorum Imperatricis occaſione dedicandi Artem Poeticam Ven. editam Anno* 1781.

AUguſtæ ad ſolium excelſum non auſus adire,
Ornavi dignis laudibus effigiem.
Huic ego ſacravi quam ſcripſi vatibus Artem,
Carmina nunc ſociis mitto recuſa meis.
Carmina, quæ Princeps tantæ Genitricis imago
Officiis animi excepit amabilibus.
Nec me permiſit Regali figere dextræ
Oſcula mellifluis dulcis in ore modis.
Curſorem oſtendit, per quem mea cármina miſit,
Quæ Dominæ ante oculos erubuiſſe reor.
Dotibus his Princeps & tanto Principe digna
Sponſa ſibi laudes promeruere hominum.
Adriacæ vidiſtis aquæ, & memorare poteſtis,
Quam Veneta exultans plauſus in urbe fuit.
Et quamquam attonitos revocent ſpectacula viſus,
Plus cum corde oculos Hoſpes uterque rapit.
Diſceſſi bina Auguſtis epigrammata ſiſtens
Fauſta dies animo non abitura manet.

### Ad Regales Hoſpites.

SÆpius Adriacam Petrus decreverat urbem
Viſere, qua ſedem, Nobilis Hoſpes, amas.
Jam prope ſcintillant ſeptem nitida aſtra Trionis,
Quæ miro irradiant lumine utrumque polum.
Quod tantum Italiæ largiris primus honorem,

Ma-

Materies omni tempore laudis erit.
Conſpicua Magni lætetur imagine Petri
Ruſſia, Te noſtro pectore ſculpſit amor.

* * * * * *

TE Dea præferret felicius arbiter Idæ;
Et cauſa, ut pomum traderet, æqua foret.
Una Deas inter, ſpectabilis Hoſpita, fulges
Juno animis, Pallas moribus, ore Venus.

---

## AD EFFIGIEM

POTENTISSIMÆ MOSCORUM IMPERATRICIS,

# CATHARINÆ II.

*Quam Vates domi ſuæ ſervare gloriatur.*

EFfigies Auguſta Deæ, quæ munere cæli
Regna immenſa beas ſeptem ſubjecta Trioni,
Non mihi conceſſum venerari cominus aſtrum
In commune bonum populis felicibus ortum,
Ornamentum orbis, lapſis optabile ſæclis
Exemplum, noſtro decus, invidiamque futuris.
Ut levis umbra ſolet latitantem oſtendere Phœbum,
Dum nubes ſeſe opponunt, minuuntque nitorem,
Sic tu parte aliqua raras in imagine dotes
Exprimis, & noſtris affers ſolamina votis.
Sublime ingenium, mentis decora alta capacis,
Magnanimique auſus, Pietas, Clementia, Candor
Tralucent, ſacrum inſpirant reverenter amorem.
Hæc Fama attonitum vulgat diffuſa per orbem,
Hæc bibulas crebris implent ſermonibus aures,
Et facile agnoſcunt omnes, ſed plurima vates
Noſcimus, æternæ monumenta perennia laudis.
Noſcimus elata tecum una lance ſedentem

Ju-

Juſtitiam, ut minuat juſtas in crimina pœnas,
Ingenitum populis infundere legis amorem.
Regnat in ore decus, Gravitas auguſta ſupremum
Nobilitat generoſa thronum, ſedet inſcia fraudum
Fronte hilari tranquilla Quies, Pax candida ridet
Interius bellis ſæpe acquiſita remotis.
Oſtendit rutilis circum Victoria pennis
Vexilla, & virides ſpargit toto æthere lauros.
Utque Aurora diem, qualis medio axe niteſcit,
Indicat, in Magno incepit ſors provida Petro
Immenſo Imperio decus addere, cui tua debent
Regna oculos aperire, & longum expellere ſomnum,
Concipere illuſtres auſus, acquirere nomen,
Præſtare ingenio, proprias agnoſcere vires,
Induere & cultos mores, excellere in arte
Bellandi, dubios nautis agnoſcere ventos,
Condere victrices, & in æquora mittere naves.
Bellica nec tantum fuſo tormenta metallo,
Et reliqua inſtrumenta necis, ſed naſcier Urbes
Improviſo ortu, & diverſis cognita ventis,
Longinquo maria ampla ſinu per inhoſpita ſylvis
Antra penetrare, & rerum ad commercia jungi
Mirata eſt, ſuperumque agnoſcit Ruſſia donum.
Attamen inceptam generoſo culmine molem
Perficere una potes, quæ Maxima jure vocaris;
Nam quas magnanimo volvebat pectore curas
Petrus honor Regum, cælum decrevit ut olim
Fœmina compleret, doteſque amplumque parabat
Ad magna ingenium; dono venit illa ſuperno,
Quamquam eſſet peregrina ortu, digniſſima ſceptro,
Ad quod vota hominum, jura, & merita ampla vocabant.
Sed cum ſcindantur ſtudia in contraria gentes,
Non cunctis arriſit honor, quo Ruſſia gaudet.
Ah miſeri! quis corde timor, quis pallor in ore
Exagitat disjectum animum! ſuſpiria morti
Prævia vos lacerant, quæ mens minitantia fingit.
Ful-

Fulmina, vos ſummo lapſos a culmine terrent.
At revocate animos; regnat Clementia, regnat
Neſcia vindictæ ſolio CATHARINA ſupremo.
Non crucibus fora mœſta horrent, nec inhoſpita longum
Aſpiciet nivibus miſcere Siberia fletum.
Vita quidem cunctis, multis ſervantur honores,
Immo etiam cunctis dextræ benefacta benignæ
Ancipites animos mira dulcedine ſedant.
Vive diu felix, Regnantum maxima, vive,
Vive diu felix, jam tota Europa fatetur
Quod nova conſilia, atque novas in pectore ſervas
Mille juvandi artes: viſa eſt Clementia tecum
In ſolium aſcendiſſe, & ſe extra extendere regna
Imperio ſubjecta tuo; ſic Phœbus ab ortu
Cuncta ſolet recreare; ardent odia aſpera terris,
Terribilique furens circum Bellona flagello
Regna metu implerat, terras fœdarat & undas
Sanguine, ſed Pacem mittis, quæ nuntia narret
Te ſolio regnare, animis inde exuat iras;
Illa volat, Dominæque libens mandata faceſſit.
Quin etiam quicumque novus ſibi rura colonus
Appetit, huc properet; nam toto extenditur orbe
Munifico CATHARINA animo; ſpatia ampla locorum
Sponte offert, numerumque augere habitantibus optat
Immenſo imperio, & vigilantibus addere curis
Materiam, ut plures valeat ſtudioſa juvare.
Sed qui forte auſit Regni turbare quietem,
Pœnituiſſe opus eſt; belli inſuperabile fulmen
Odryſii ſenſere hoſtes, radiantia tela
Et ſcuta & gladios tormentaque bellica vidit
Euxinus, lato implebant quæ littora tractu.
Quin refluis undis ſubſiſtere vidimus Iſtrum,
Quærere nec ſalſum bis ſeno flumine pontum
Dicitur, ut caſtris ripas, populoſque timore
Impleri, & trepidæ palleſcere cornua lunæ,
Ut Ruſſorum animos, & prælia prima notavit.

Arri-

Arripit inde viam, atque ſtuporem in gaudia vertens
Prævidet extremam, quam tandem fata parabunt,
Turcarum Imperio jam jam adventaſſe ruinam.
Parte alia Nomenque Tuum, vexillaque vidit
Græcia velivolas agitare per æquora naves;
Vidit, & obſtupuit: quod vix venientia credent
Sæcula, poſſe unquam fieri quod lapſa negarent,
Sed melius noſcent, quæ te, CATHARINA, capacis
Mentis opes decorant; non ad Garamantas & Indos
Inſuetam bello gentem tua dirigis arma;
Non prius ignotas juſſiſti nare per undas
Orbe novo naves, quas dum miratur euntes
Turba rudis, ſtupefacta ſilens deſcendere cælo
Fingit, & hæc ſuperos habitare palatia Divos.
Sed contra Turcas, & formidabile bello
Hirſutum genus, & populum per tela per ignes
Irruere audacem, terraque marique potentem,
Ipſorum in gremio, venturi certa triumphi,
Qua via nulla fugæ, claſſes toto æquore mittis.
Concipere hæc animo magnum foret, at ſimul una
Exequeris, nec Te prudentia cautior æquo
Illaqueat, timor ignavus non juſſa retardat,
Non via difficilis, diſtantia nulla locorum.
Quaque jubes, præit auratis Victoria pennis,
Arma hebetat, frangitque animos, & territat hoſtes.
Quid referam latas concepto in codice leges
Mentis opus vaſtæ? ut variis regionibus aptæ,
Indole diverſa populis miro ordine rerum
Conveniant, lites minuant, ſumptuſque, doloſque
Litibus, & nocuas ad tempus inutile cauſas.
Quin timuiſſe minus pœnam, quam criminis umbram
Edoceant; populorum animos ad mitia ducant.
Non tormenta reum affligent, ut vera reponat,
Ne ſubeat certam dubio pro crimine pœnam;
Nam cum præſentes curat vitare dolores,
Nil ultra obſervans facta, atque infecta fatetur.

Hic Procerum ſervatus honor, ſub lege quieſcit
Tutus inops, quem nulla unquam violentia lædet.
Invenit optatum ſtudioſa induſtria calcar,
Inveniunt certum rerum commercia lucrum.
Sed prodeſſe parum poterant, niſi ſumma poteſtas,
Et maternus amor, ſimul & vigilantia ( moles
Ut vaſto Imperio radicibus hæreat imis )
Unirent ſocias concordi fœdere dextras.
Hoc mage mirantur populi, nam commoda temnens
Non ſibi, ſed populis vivit CATHARINA regendis.
Non quæ Regali facile excipiuntur in aula
Otia, non recreare animum, non fallere tempus
Occupat intentas aliorum ad commoda curas.
Nulla dies oritur, qua non patienter in horas,
Quæ firmanda paret, maturo examine pendat.
Atque aſſueta ſimul doctos evolvere libros
Nocturna verſare manu, verſare diurna,
Inſtruit illa animum, & gaudet ſine voce doceri.
Conſulere & plures amat; hunc ſapientia dignum
Conſilio, atque alium longa experientia reddit.
Sic propria virtute poteſt merita ampla notare,
Præmia dividere, & certas præſcribere normas.
Sic ſtudiis gravibus, ſtudiis quoque floret amœnis
Plurima communi celebrata Academia plauſu,
Exornatque novis vaſtas ſapientibus urbes.
Jamque viri celebres, toto clariſſima mundo
Nomina, nativos gaudent mutare penates,
Munifica ut dextra, & tanto ſplendore fruantur.
Attamen hæc reliquis laus eſt & gloria major,
Publica ſeu belli paciſque negotia tractet,
Egregios audire viros, quos mente ſagaci
Conſulit, & quod pondus habent ſuffragia, noſcit.
Solus enim Princeps regnat, ſed munia ſceptri
Dividere, & ſocios curarum adhibere miniſtros
Eſt opus, & qui cuncta nequit diſcernere viſu,
Cogitur heu! Princeps alieno fidere teſti.

Hanc

Hanc tibi felicem peperit Prudentia ſortem
Prudenter primum eligere, & prudentius uti
Talibus auxiliis, juvat experientia rerum,
Semper & intentus mentis vigor: ac ſimul illos
Cuncta notare doces, quos conſuluiſſe videris,
Agnoſcens animi affectus, & mentis acumen.
Quos Oratores etiam regna extera mittunt,
Nativo ſermone vales audire loquentes;
Te Civem putat eſſe ſuam, quicumque ſupremum
Ante thronum ſua ſenſa aperit, miratus eadem
Cultura eloquii Te reſpondere paratam,
Sic dolus omnis abeſt, mora nulla negotia differt.
Quin etiam in mores vigilat CATHARINA ſuorum,
Exemplo præit, atque animos regionibus amplis
Concilians dulcem inſpirat virtutis amorem.
Uſus avis quondam ignotus, quem morbida luxu
Dicitur elapſo peperiſſe Lutetia ſæclo,
Uxorem prohibet comitem ſimul eſſe marito,
Qui ſponſæ alterius partes famuletur in omnes.
Vir quoque, vix ſervus prope limina nobilis adſtat,
Sponte loco cedat, tectumque laremque relinquat.
Tradita venali ſic cura domeſtica ſervo eſt,
Nam vitii fomes, jacturaque temporis omnem
Occupat, enervatque animum, & torpeſcere cogit.
At CATHARINA bono populorum intenta ſagaci
Invigilat cura, ne plurima gignere morum
Damna queat nocitura lues; & provida noſcit
Quam juvet a folio minimis attendere rebus.
Sic docet exemplo nunquam revocabile tempus
Pluris habere, atque utilibus expendere curis.
Aſpicis avulſos, quamquam radicibus altis
Hærebant luſus, in queis fortuna triumphat,
Nullus & ingenio locus eſt; alimenta voracis
Subdola avaritiæ, vitiorum immenſa propago,
Raptores auri, nunquam ſatiata cupido,
Peſtis opum, infames luſus, queis Ruſſia luxit

Preſſa diu; nunc immenſis diſcedere regnis
Læta videt, nullum vitio ſervatur aſylum
Reginæ Auguſtæ ſtudio; nec plurima paſſim
Apta avidos recreare animos ſpectacula deſunt
Innocua, & populis curarum dulce levamen.
  Nil mage difficile eſt, quam mutua fenora nodo
Aſſociare uno; & reditus augere ſuorum,
Atque ſuos augere ſimul; tempuſque, ſitumque
Noſcere, quale hominum ingenium; quas mittere merces
Conveniat, quas externis perquirere ab oris,
Quos juvat ante alios e terra educere fructus,
Quaſque urgere artes, quæ ſedes cuilibet arti
Commodior, quibus auxiliis induſtria creſcat;
Dumque aliis augentur opes, augentur & ipſis
Regibus, & faciles in publica commoda cedunt.
Sint etiam primis rerum inventoribus apta
Præmia, quæ lucro ſtimulent, & honoribus ornent,
Non tamen in ſimili ſeſe exercentibus arte
Officiant, quin merce pari ſua quærere lucra
Evaleant, virtus ſic æmula concipit auſus.
At ſive ingenii partus, ſeu bellica virtus
Ornetur donis, ſumptus ſeu larga profundat
Majeſtas, addatque ſuos privata voluntas,
Extruere aut vaſtam, quæ ſurgat in æthera molem,
Aut præbere avidæ placeat ſpectacula plebi,
Principis eſt magni juſtam præſcribere metam,
Ut ſemper generoſa manus, ſed prodiga nunquam
Spargat opes, ventura animo & præſentia volvat.
  Has CATHARINA animo curas in pectore verſas,
Nec tenues curas, ſed dignas Principe noſcis;
Regali præſcripta animo, non meta videtur
Præſcripta, utilitas poſcit cum publica ſumptus.
Litora vos pelagi, vos dicite fluminis oræ,
Magnæ Urbes, ſtratæque viæ, vos dicite regna
Queis amor in populos, Majeſtaſque ampla refulget
Expenſis; tot enim largam oſtendentia dextram

Con-

Concelebrare quidem, ſed non numerare poteſtis.
Deerat adhuc Magno monumenta perennia Petro
Erigere, auctorem venturæ extollere molis.
Ille quidem, qui prima tuæ fundamina laudi
Diſpoſuit, magno eventu dum vota ſecundas,
Et comples, quas ille animo conceperat auſus,
Ille quidem ſtatua erecta tibi jungat honorem,
Et pariter Petrus, & pariter monſtreris in illa.
Ut radio pictore ſolet jam proximus undis
Sol nube adverſa formare parelia lucis,
Solis ad inſtar eris, major quoque Petrus habetur
Luce tua. En video montem per prata per undas
Immenſum adduci montem, oblituſque videtur
Ponderis! at CATHARINA jubet, vehiturque libenter
Regalem factura baſim vaſtiſſima rupes!
Non Ægyptiacas Romana potentia quondam
Pyramides, longaſque immenſa mole columnas
Per dubium pelagus traxiſſe a montibus altis,
Et dominam exornaſſe Urbem, fora, balnea, templa
Jactitet, ars noſtro ſi perdita creditur ævo,
Ruſſia nunc omnes inſtaurat & invenit artes.
Indigena hic magnos, atque advena concipit auſus,
Et viget ingenium, & penetrabile mentis acumen:
Tantum Regnantis ſe ſpargit ad omnia virtus!
Hactenus attigimus laudum decora ampla Tuarum,
Attigimus tantum; ulterius penetrare, negatur
Vulgari ingenio, radiantia lumina Phæbi
Sola quidem fixo intuitu Jovis aſpicit ales.
Hæc ego ſæpe tua ſtupefactus imagine miror,
Hæc ego, quæ Vates mirari poſſumus; at laus
Major adhuc ſupereſt, quam cunctis monſtrat imago,
In miſeros pietas, & qui tralucet in ore
Dulcis amor; diſtat miſeris procul aula querelis,
Majeſtaſque ignara pati ſuccurrere differt
Sæpius, & ſolio ſplendeſcens ſemper ab alto
Inſtillare ſolet populis auguſta timorem

More ignis; micat ille procul, sed proximus urit.
Quin tamen amittat justas Reverentia leges,
Quisquis adire cupit, nam quisquis noscit amari,
Noscit, amatque simul: Proceres lucrantur honorem,
Providam egenus opem; non irrita volvere certus
Vota animo; quin non questi infortunia sortis,
Quin etiam absentes ( dictu mirabile! ) noscunt
Extensam ab benefacta manum; generosa voluntas,
Cor tenerum, & vigilans præcedit vota suorum.
Dicite Mortales magni sensa intima cordis,
Regalem miserendi artem! Grave fulmen ab alto
Intonuit, fratresque meos in funera duxit.
Sæpe animus meminisse horret, nam millia septem
Tertia pars fuerat; cuncti ludibria sortis
Dispereunt, pulsique domo sine lege vagantur
Incerti afflicti; neque erat spes ulla salutis.
Sola vigil Mater Regina Augusta dolentes
Prævenit, & dextram non exorata benignam
Extendens tuta incolumes statione relinquit.
Ut dolor abscedat, verbis solatur amicis;
Ne timor excruciet, Regali protegit umbra,
Protegit, atque illis quotquot sua regna tenebant
Nec tonitrum nocuisse sinit, nec fulminis iram.
Oh Pietas, majorque tuo constantia sexu!
Quam non tempus edax, quam nulla abolere vetustas
Nec rerum casus poterunt in corde meorum
Deterere, immo etiam, si quid mea carmina possunt,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.
Vive diu felix, namque ut tibi Nestoris annos
Numina concedant, votis exposcimus omnes.
Nunc etiam permitte Tuo sub Nomine nostra
Carmina vulgari, tanto splendore nitorem
Accipient, & digna legi tanto Auspice fient.
Interea oh magnæ soboles dilecta Parenti,
Imperii pariter, Virtutum & Sanguinis Hæres
Magnanime o Princeps, exempla domestica felix

Vol-

Volve animo, non externos inquirere faſtos
Eſt opus, ipſa oculis ſubjecta fidelibus hærent
Firmius, hinc Regna Europæ exoptabilis hoſpes
Dum luſtras, & digna Tibi comes addita Conjux
Indole Regali, & morum dulcedine clara,
In qua virtutes æquat præſtantia formæ,
Dumque oculos, & corda rapit Par Nobile plauſu
Unanimi, Italiamque beat, ſit maxima laudum,
Quod Magnam in Nato lætemur noſcere Matrem.

Hæc tu ſenſa animo inſpiras; quæ mira notavi,
Me ſtimulas celebrare metro, mihi proxima ſemper
Regia virtutum ſedes, & nobile calcar
Auguſta effigies, vatemque domumque decoras,
Et dum geſta offers omnem exſuperantia laudem
Geſta perenne dabunt nova laudibus argumentum.

*Ex Libro*: Epigrammata ſelecta Heroica ex Hetruſca lingua in Latinam verſa *ſeu*: Raccolta di Sonetti ſcelti &c. *a nobis edito*, *pag.* 140. *Ad Effigiem Potentiſſimæ Moſchorum Imperatricis CATHARINÆ II.*

## EPIGRAMMA.

TE decus Heroum ſi ſæcula prima tuliſſent,
Prima Deas inter connumeranda fores.
Fabula ſed veras confunderet addita laudes,
Et dubiam in multis redderet Hiſtoriam.
At modo, cum nobis cultiſſima naſcitur ætas,
Ipſa venis ævi gloria ſumma tui.
Menſuramque imples tam magni Nominis, ullam
Quin partem in factis fabula habere queat.
Præluſit Natura aliis; diviſa per omnes
Quæ dedit, in Te una colligere inſtituit.
Plurima debuerant lento decurrere paſſu
Sæcula, queis tantum perficeretur opus.

# EPISTOLA III.

( *Ordine temporum prima* ad Fratres in exilio; *ideo Epistola IX. incipit*: Septima dispersos &c. )

## Ad Lusitanam Soc. Jesu Juventutem gratulatio

*Ob constantiam in vocatione, & Lætitiam in laboribus sufferendis.*

KAL. OCTOBRIS MDCCLX.

ILlustres animæ, cælo spectata juventus,
Deliciæ Superum, Lysiæ decus, æmula proles
Heroum, quos prisca ætas venientibus annis
Proposuit, segnesque inflammat ad ardua vires.
Imo etiam vestra exuperant merita ampla recenti
Exemplo, quod nulla hominum celebrata priorum
Gesta ferunt, nec vos unquam ventura tacebit
Posteritas; & felices nos invida dicet,
Queis datur æterna victricia tempora lauro
Cernere, queis vegetas post tanta pericula turmas
Contigit admirari, & coram audire triumphos.
Vos ego dilexi solum mihi nomine notos,
Sed clara egregios fama, atque ingentibus ausis;
Nunc longe illustrem superat præsentia famam.
Quam tenerum, quam dulce fuit tot cincta coronis
Agmina perspexisse! & quorum insignia totum
Facta orbem implerant! eadem mihi regula morum
A superis præscripta datur, sed dispare fructu,
Nam vobis firmas legum observantia vires
Instillat, magnosque animos, & nescia vinci
Pectora plena Deo, & mediis infracta periclis.
Credideram potuisse aliquid, cum primus in undas
Jactatus, corde impavido, vultuque sereno,
Venturæ signa expertus furiosa procellæ

Tyr-

Tyrrhenum Adriaco mutavi naufragus æquor.
Sæpe mihi ſolamen erat, mihi gloria tantis
Præceſſiſſe viris, ego prælia primus, & hoſtis
Suſtinui occultos ( neque adhuc patuere ) furores.
Sed modo cum partos ſuperato ex hoſte triumphos,
Et juvenes vidi graviora in bella paratos,
Qui ventos videre alios, aliaſque procellas,
Erubui, pectuſque ſimul dulcedine ſenſi
Undique perfuſum; at tam felix eſſe ( fatebor )
Non merui: cum quiſque mihi ſua prælia, & artes
Vincendi deſcripta dabat, narrantis ab ore
Pendebam, dulceſque dabam vel neſcius imbres.
At ſubito ( vidiſtis enim, & memorare poteſtis )
Lumina perſenſi quoties madefacta, loquendo
Materiam arripuiſſe novam, mihi plura roganti
Cura fuit; neque enim ad fletus ea tempora duxi,
Nam mea teſtari cupiebam gaudia, veſtro
Obſequio, & tenerum, quo vos amplector, amorem.
Sic ego lætus eram, & veſtra ſimul ipſe fruebar
Lætitia, pectus qua Numen amabile mulcet,
Nunc etiam, dum facta animum per ſingula volvo,
Sponte oculis lacrymæ erumpunt; jam dulcia, Matrum
Oſcula, jam videor monitus audire paternos,
Jam frater, jam chara ſoror, quæ plurima dictat
Ingenioſus amor, fletu conjuncta doloſo
Una inter gemitus, inter ſuſpiria miſcet.
Quiſquis erat vel amicitia, vel ſanguine junctus,
Mille artes & mille dolos, ſi forte tenacem
Propoſito valeat firmo divellere mentem,
Congerit, hinc miles, qui cingit plurimus ædem,
Arma acuit, vultuſque truces & ferrea prodit
Pectora, jamque monet placidus, jam ſæva minatur
Militiæ Ductor, longaque in veſte Senator.

Quid referam, a magno quæ venit epiſtola Rege
Apta movere animos, quæ Prætor ſcripta ſupremus
Addidit, & Præſul quem purpura cingit, & oſtrum?

Commoda, divitias, lucroſaque munia, honores
Promittunt, facileſque aditus, ſi veſtis amictu
Depoſito, patriis nolint diſcedere terris.
Apparet pietatis opus; ne incauta juventus
Commaculet teneram, ſed adhuc ſine crimine, mentem
Majorum alloquio: damnum irreparabile, dicunt,
Imminet; hinc fictæ ſuadent conſortia gentis
Linquere; corrumpunt exempla domeſtica ſenſus
Occulto illapſu, paullatim corruit ætas
Flexibilis, bibuloque animo ſe ſubdola peſtis
Inſinuat, ſerpitque ignotum in corde venenum;
Horrendo aſpectu ſeniorum ut crimina pingunt,
Sollicitis, dum tempus adeſt, contagia curis
Propulſanda monent, & quiſque oſtendere pergens
Utile conſilium, variis ſimul artibus ornat.
Ni faciant, parva exilium poſt mille labores
Pœna foret; quiſquis Lyſia de gente miniſtret
Solamen, vel quod miſero debetur egeno,
Scriptave tranſmittat, tranſmiſſave ſcripta requirat,
Vel natum amiſiſſe ſuum, charumque ſodalem
Condoleat, procul abſentem ſtatione remota,
Nomina vel ſervet folio commiſſa fideli
Mulctandus capite, & ſceleratos inter habendus.
Nil ſimile antiquis memorandum annalibus extat!
Eja agite o juvenes, vobis patria unica cælum;
Nunc animis opus eſt: virtutem extendite factis,
Bella inſtant graviora: dabit Deus his quoque finem:
Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.
Poſt varias artes, poſt tot diſcrimina rurſus
Vi prece conſilio tentantur, & inde jubentur
Disjuncti ( qui juſta monent in vincula miſſis )
Quid ſibi conſtituant, ſecreto exponere ſcripto.
Tentamentum ingens! ſed quo fera prælia creſcunt,
Creſcit honos, majorem & habet victoria laudem.
Vidi ego tot dextras injecto in pectora ferro
Vulnere percuſſiſſe levi, qua præpete motu

Pro-

Proximius dat ſigna ſui, vitamque miniſtrat
Cor, ſedes ubi regnat amor, tum ſanguine fuſo
Exponunt animi ſenſus, mentemque fidelem;
Nec viles habitus; pretioſa inſignia Regis
Ætherei, ſe poſſe unquam dimittere, quamvis
Juſſa minæ horrores cruciatus vincula creſcant:
Mille etiam ( ſi tanta homini conceſſa poteſtas )
Suſtinuiſſe neces generoſo accenſus amore
Quiſque cupit, teliſque offert cor nobile, & infra
Rubra cruentatæ ſubſcribit nomina chartæ.
Vidi ego ( nec poſſum ſine dulci ſcribere fletu )
Tot juvenes patria pulſos, lateque per undas
Oceani profugos, hilari bella aſpera primum
Commiſiſſe animo, & repetita deinde corona
Incerti quo juſſa ferant, ubi ſiſtere detur
Unanimes ſervare fidem, promiſſaque vota,
Queis ſelecta cohors Jeſu ſub nomine gaudet
Inſcribi, atque Erebi victrix odia aſpera ridet;
Nam Ducis auxilio ( ſatis eſt generoſa voluntas )
Certa volat noſtris ſemper victoria caſtris.
Nec meritas tibi diminuam, Rex inclyte, laudes,
Siqua minus recte tanti ſub nominis umbra
Firmantur, tu ſemper ades pietatis avitæ
Æmulus, & tecum ſolio clementia regnat.
Multa animum latuere tuum, nec juſſa miniſtri
Apte implent, ſic tempus erit, quo plurima noſcas.
Noſcere ſi dabitur, ſi forte benignior aura
Diſſipet obſcuram, qua cingeris undique, nubem
Vidi ego (lætus adhuc depaſcor imagine rerum)
Imberbem turbam immanes ſpreviſſe Gigantes,
Et tenues cymbas, quamvis ductore carentes,
Immenſum Oceanum, & rapidas ſuperaſſe procellas.
Jam tenues plantas vel primo flore juventæ
Lyſia maturos cælo producere fructus
Miratur! Vos clauſæ ædes, vos carceris umbræ
Dicite, quid juvenis ſuperum inflammatus amore
Poſ-

Poſſit, & hoſtiles fruſtra heu geminate furores,
Inſidias geminate, & fraudibus addite fraudes.
Nil valuit fictis mendax infamia cauſis,
Dum ſpecie veri centena volumina prodit;
Nil pœnæ, nil injecti valuere timores,
Dira fames, macilenta lues, & turpis egeſtas,
Crudele exilium, & certis maria alta periclis.
Mors violenta, aut vita malis adverſa futuris,
Non adeo tetram nobis oſtendere frontem
Aſſolet, ut Jeſu ſacra ſigna relinquere cogant;
Adſumus, & veſtris docti vos vincimus armis:
Sic ajunt; & magna licet pro Numine paſſi,
Nil feciſſe putant: nam ſi majora recurrant,
Intrepidi cuncta expectant ad cuncta parati
Corde avido, oblitique ſui, oblitique ſuorum,
Ac cælo intenti: manet alta mente repoſtum
Conculcare Erebi furias, tutamque ſalutis
Ire viam ſemel arreptam; nec flectere retro,
Multa licet curſum impediant; mortalibus ægris
Nil modo difficile eſt, vires nam ſponte miniſtrat
Numen, committunt quoties pro Numine bellum
Audendum; propriis ni fiſi viribus auſint.
Impatiens ( novus ardor agit ) quiſque appetit ultro
Victima grata Deo offerri, ſuperiſque ſodalem
(Namque immortalis poſt fata renaſcitur heros)
Translatum adjungi, & perituram ſpernere vitam.
Plaudite: ſe vobis noſcit Loyola Parentem
Numinis ante thronum: dignis Xaverius ornat
Laudibus, & charos appellat Borgia natos.
Regis amat fratres; ſociis ( nam convenit ætas )
Gaudet Aloyſius; fructus & Koſtka tenellos
Jactat habere ſibi ſimiles; pluresque cohortes
Emeritæ, quæ noſtra olim vexilla gerebant,
Quo majora vident acri certamina bello
Exultant magis, & laudum decora ampla recenſent,
Ire, redire bonos genios, qui nuncia cælo

Læta ferant, vobisque novas ad prælia vires
Suppeditent, palmasque legant, duplicentque coronas
Præmia victori, melior cum vita resurget,
Vidimus: æternoque inscribere singula Libro.
Vivite felices, fortunæ plaudite vestræ:
Vivite felices; nec vestrum aliena requiro
Facta animum stimulare: hinc vos ad grandia Numen
Præparat, & magno jam prælusistis honore.
Vos dignum exemplar vobis, & nobile calcar
Ponite, forsan & hæc olim meminisse juvabit.
Gratia sit superis, fortunatissima pubes,
Queis placuit tantis clara instrumenta triumphis
Seligere, & nobis vincendi ostendere normam:
Vos quoque venturis nunquam decrescite factis,
Quin potius quantum rerum experientia crescet,
Crescat Dius amor. Quo fit maturior ætas,
Consolidet, vegetesque obfirmet pectore vires.

---

# EPISTOLA IV.

*Discedens ab amicis, quibuscum olim convixerat in Lusitania, postquam Venetiis Bononiam ad eos invisendos accesserat.*

KAL. OCTOBRIS MDCCLX.

CUM subit illius suavissima noctis imago,
    Qua mihi cum sociis contigit esse meis;
Dum repeto noctem, qua tot mihi chara reliqui,
    Saucia corda ferit dulcis amore dolor.
Sæpe recrudescit peramanti pectore vulnus,
    Vulnus, quod grata cuspide fixit amor:
Nec teneo exortos ( testantur lumina ) fletus,
    Et videor claris fratribus usque frui.

Ite procul, quibus insano vilescit amore
    Pectus, & ex nostro discite quid sit amor.
Non minuunt anni, aut distantia longa remittit,
    Quæ pura a summo Numine flamma venit.
Jam prope tempus erat, quo me discedere cogit
    Cymba paludosis nocte vehenda locis.
Non spatium fuerat, non mens satis apta parandi,
    Vos, vos cura animos occupat una meos.
Hunc celer amplexu mihi stringo, amplector & illum,
    Et cunctis animi divido signa mei.
Extremumque vale, simul omnia fausta precatus
    Auguror in Venetas jam rediturus aquas.
Ter limen tetigi, ter sum revocatus ab ipso,
    Indulgens animo pes mihi tardus erat.
Tum mihi flens dico: quid me mora longa retardat?
    Non patitur longam cymba parata moram.
Sit satis antiquos rursus vidisse sodales,
    Quamlibet hora brevis quinque fuere dies.
Molior & reditum, loca sunt modo proxima nobis,
    Nec jam disjunctos tam procul orbis habet.
Vincula solve animo; discam patienter amare,
    Siste precor pectus dilacerare meum;
Fac minus arctet amor, distantia parva putanda est,
    Æmilia a Venetis quassa putatur aquis.
Tempore jam longo vos me caruistis, amici,
    Nec grave jam vobis me caruisse fuit.
Quatuor heu! vacuos hic lustra peregimus annos,
    Meque sinu retinent Itala regna suo.
In Lysia tredecim vidi flavescere messes,
    Communi vobis sub Duce miles eram.
Per mare, per terras, loca per diversa remoti
    Dividimur; nostri muneris illud erat.
Nunc parere aliis, qualem decet exulis esse,
    Nunc cuique officio cura vacare suo.
Una omnes patrio tandem jungemur olympo,
    Mutuus æterno fœdere junget amor.

Hæc ego dum tacitus confusa mente revolvo,
Paullatim sensus convaluere mei.
Quin tamen advertam, novus ore supervenit imber,
Nempe animo nubes insidet atra meo.
Hinc nova composito scintillant gaudia vultu,
Atque iterum lacrymis immaduere genæ.
Est aliquid vidisse suos, sed ab hoste receptos
Nescio quid socios cernere majus habet?
Nam subeunt animum, quos Lysia nostra triumphos
Vidit, ut inferni contremuere Duces:
Et palmis dextras, & tempora cincta coronis,
Et clypeos signis cerno micare novis;
Augent vestra meo facta inclita pondus amori,
Et mihi participat gloria vestra decus.
Quos habui socios, summis Heroibus æquant
Tot nuper Lysio parta trophæa solo.
Oh utinam lateri vobis comes additus essem,
Et scirem expertus quid bene miles agat.
Ipse triumphales vidissem assurgere lauros,
Et vinci ignavo nescia corda metu.
Non mihi tot vigiles agitassent pectora curæ,
Nec dolor ancipiti nuntia vana forent.
Ah quoties vestrum studiosa infamia nomen
Visa est sacrilega dilacerare manu!
Jam periere hostes; scelerum damnosa propago
Dixit, & in toto substulit orbe caput;
Inverecunda loco impietas bacchatur in omni,
Nec vitium occulto serpit, ut ante, gradu;
Omnes jam tuto post bella quiescere regno,
(Dum semel innumerant parta trophæa) putes.
Sola ferox vindicta animos, vultumque minacem
Servat adhuc variis insidiosa modis.
Hanc circum volitant furiæ, quas torva flagello
Increpat, & stymulis urget acerba suis.
Rumor & in vulgus sparsit fortasse malignus:
Jesuadæ castris terga dedere suis;

Cre-

Credere non poteram; ſed tempora dura timerè
Imbuerant miſeros jam genus omne mali.
Me lacrymæ matrum, me prælia blanda ſororum,
Me patriæ turbat noſcere quid ſit amor;
Quid ſine Nauclero faciet, ſine remige puppis,
Quæ Ductore carens prælia miles agat?
Sed quid ago? Famam ( licet eſt male conſcia veri )
Conſulo, de ſociis quid ferat illa meis?
Illa, mihi pugnæ locus interdicitur, inquit;
Conſulere hinc dubios cogor ubique ſonos:
Attamen ipſe tuis certum ſperare triumphum
Ne dubites; faciunt plurima ſigna fidem;
Hos inter ſtabilem fixit conſtantia ſedem,
Atque comes pietas, faſque, decorque fuit.
Relligio, & reliquæ ſimul hic vixere ſorores,
Nec ſcimus fratres deſeruiſſe tuos.
Quo feror? Et vobis quid me timuiſſe coegit?
Res eſt ſolliciti plena timoris amor.
Parcite: debueram veſtras cognoſcere vires,
Nec ſociare meo gaudia veſtra metu.
Sed modo creſcit amor, quantum magis ante timebam,
Major & eſt tales gloria amaſſe viros.
Hæc mecum expendo: redeunt mihi plurima menti,
Dum prope diſcedens doque, rogoque vale.
Hora ſonat; replico amplexus: & cogor abire,
At retro aſpiciens ore, manuque loquor,
Atque iterum redeo nova ſigna daturus amoris,
Et dubito ſi cui ſigna minora dedi.
Disjungor tandem, neque me disjungere poſſum,
Dimidium in vobis ſponte relinquo mei.

# EPISTOLA V.

Ad Societatis Jeſu adoleſcentes

*Ex Provincia Sanctæ Fidei poſtquam Fano Eugubium diſceſſerunt.*

KAL. DECEMBRIS MDCCLXVIII.

EGregii juvenes, Italas quos miſit in oras
Sancta Fides, nam ſæpe ſuis aptiſſima rebus
Nomina conveniunt; vos dogmata ſacra remoto
Electi referare orbi, prius ire decebat
Quo Deus ipſe ſuam Romano Præſule ſedem
Conſtituit, dum bella Erebus bella aſpera tentat.
Adveniet juſtum pugnæ ( ne arceſſite ) tempus,
Cum fera barbaries Romanis arcibus olim
Immane exitium, ſtrageſque immittet acerbas,
Vos procul advectos (qui non ſine Numine Divum
Proximiore loco ſacram acceſſiſtis ad urbem )
Prima trophæa manent, vobis ſervantur honores.
Jam ſatis experti graviora pericula ſortis
Temnere, pauperiemque trucem, rabidaſque procellas,
Plaudite; nam magnos jam proluſiſtis ad auſus.
Poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina rerum,
Oh pia turma, Deus vobis hæc otia fecit,
Et jubet hic tandem tuta ſtatione potiri
Et mentem inſtruere, atque novas acquirere vires.
Vos mare, vos tellus, vos ſummo a culmine Titan
Vel miſere errantes, vel diro milite cinctos
Vidit, & in menſes Phæbe ter quinque voluta
Delituit toties, toties pleno ore recrevit,
Et modo vos navem dirum inſultantibus undis,
Qua tantum objicitur cælum undique & undique pontus,
Qua venti campo immites bacchantur aperto

Et rauco stridore fremunt, atque aspera miscent
Prælia, nunc tenui vectos super æquora lembo
Arbitrio undarum, stratosque sub aere vidit
Crudeli Borea gelidos, vel rore madentes,
Undantes pluvia, percussos grandinis ictu
Difficilem languore gravi captare quietem;
Quin etiam cymba ejectos, ut inutile pondus,
Vos & vestra simul nuda prospexit arena.
    Sed tamen interea lateri comes addita semper
Monstrabat læta infractas constantia vires,
Vernantem myrtum, & florem spargebat odorum,
Quæ præerat duris vivax patientia rebus,
Et circum placidis volitabant gaudia pennis;
Pone sequebantur gemitus, lacrymæque dolentis
Hesperiæ, at voces sedat prudentia nutu.
Quid tamen antiquos juvat hic memorare labores,
Lætitiamque animi, & mediis infracta periclis
Pectora? Vos clara lassos aspeximus urbe,
Cui nomen Fortuna dedit, temploque recepta
Servat adhuc sine honore sui vestigia cultus,
Subjectos fœcundat agros, cælique benigna
Temperie adjungit facilem ad commercia portum,
Et simul ingenuos dulci fovet indole mores.
    Huc tandem advecti, reliquas ut quæque per urbes
Inde iret divisa cohors, longeque morati
Acquisita diu vestris merita ampla triumphis
Et placidum ingenium potuistis noscere gentis.
Cernere erat juvenem Hispano de sanguine natum
Matris ab amplexu, patriæque e finibus ultro
Ereptum, superis qui spes devoverat omnes
Magnarum contemptor opum, contemptor honorum,
Insignemque virum miti sub sidere nuper
Degentem, insuetos nostra in regione calores,
Ignotumque pati frigus, sed pectore forti
Atque hilari vultu (quamvis majora recurrant)
Despicere objectos, aliosque optare labores,

Longævumque ſenem, vel quo per luſtra magiſtro
Bis tria cæleſtes didicit gens barbara mores;
Officiiſque gravem, cui poſt tot geſta decorem
Canities veneranda addit, dum tardat arena
Multa pedes, talos ſudor deſcendit ad imos
Genua labant, tremulos quatit æger anhelitus artus,
Et tamen ex omni collectam ætate phalangem
Exultantem animis, nil fata adverſa timentem
Nobilis urbs vidit, lacrymiſque excepit obortis;
Quiſque pia invidia contemplabatur euntes
Ac retro accedens laceræ dabat oſcula veſti.
Cernere erat populum undantem, lateque fluentem
Per fora, per calles, per amæna ſuburbia gratis
Hoſpitibus monſtrare viam, nunc fauſta precari,
Nunc plauſus iterare, & laudibus addere laudes.
Veſtra ſenes madido mirantur gaudia vultu;
Mirantur juvenes, nuptæ, innuptæque puellæ,
Matronæque graves, vulguſque volubile in unum
Concordes, veſtrum extollunt in ſidera nomen.
Et quanquam inſultus nuper Rubiconis ad undas
Suſtinuere omnes, populique inſana procacis
Jurgia, nocturnumque imbrem clauſa oſtia cogant
Excipere, in noſtra damnum penſabitur urbe.
Si Ligurum montes, & ſaxa minantia cælo
Scabra juga, & nemoroſa gradu ſuperaſtis anhelo,
Et pedibus partem Æmiliæ, partemque ſequentis
Flaminiæ viciſſe datum, quaque ardua ſurgit
Lauretana Domus dono translata ſuperno,
Qua Deus ipſe olim mortales induit artus;
Huc revocate gradus, hæc ultima meta viarum,
Siſtite, nam ſtabiles tantum hinc pergetis in ædes.
Gens mundo, gens chara Deo, ſed ab hoſte petita
Tartareo, tandem hic poſt tot requieſce labores.
Sic eadem cunctis vox una ex corde profecta.
Si vos Gallorum in cymbis ceu poma caniſtris
Anguſto congeſta ſitu per inhoſpita regna

Neptuni, tenuique cibo, ſalſoque refecti
( Nec relevare ſitim conceſſum eſt munere lymphæ)
Dum Phœbus, Phœbique ſoror bis quatuor orbes
Abſolvunt, Ligurum deſerta in littora vecti,
Solvitis argenti nummos, ſeu pondera quinque!
Si vobis per mille dolos exhauſta ſupellex
Deficit, experti forſan crudelia fratrum
Pectora, qui clauſa poſſent præſtare crumena
Commoda, conſilium, & blando ſolatia vultu.
Mittendi haud fuerant vix digni hoc nomine fratres
Ad magnos gravitate viros, ad clara triumphis
Agmina, ut ingreſſum arcerent venientibus urbem;
Atque eſcas ſummo pretio, curruſque pararent
Solvendo imparibus; ſic longe expellitur hoſtis
Finibus e patriis, ſic vobis crevit egeſtas:
Vobis, qui magnum huc argenti pondus & auri
Miſiſtis, proprio ære malum commune levaſtis,
Nunc vice mutata miſeris atque omnium egenis
Nil opis affertur, nec tantis gratia donis
Redditur, ignaro ſociorum Præſide, veſtras
Qui dolet ærumnas, nam ſenſus corde paternos
Aſſervat, ſcriptiſque ſuum patefecit amorem.
Non hæc monſtra quidem caſu eveniſſe putetis,
Nam quibus ærumnis Numen decrevit ab alto
Invictos tentare animos, ſolatia fratrum
Abſtulit, ut toto premeret vos pondere nimbus.
Sed jam tempus adeſt, poſitis requieſcere curis.
Hic eritis; vos mille petunt habitacula; noſtræ
Æmula ſit tantum generoſa Faventia ſortis.
Hic eritis; procerum in cunctos, & plebis amorem
Conciliant merita, & pœnæ cum crimina deſunt.
Hic eritis; quæ ſponte latet jam plurima virgo
Sacra Deo, claraque Heroum ab origine ducta
Se ſe operi accingit, jam læta accedit ad ignem
Et propriis manibus mittendas præparat eſcas;
Jamque ſtipe oblata ſacras invitat ad aras

Cura sacerdotum; jam vos circumdat; & omnes
Turmatim plenis deportant munera dextris.
Ipsa ætate gravis mulier de paupere tecto
Exilit, & tenui caules decerpit ab horto;
Hæc parvam adjungit (sed amoris signa) monetam,
Illa offert panes, hæc rustica munera fructus.
Vocibus adjungunt facta hæc concordia pondus,
Sic omnes uno ore suum testantur amorem.
Vos modo jam stabili juvenes in sede locati
Concipite hæc animis, series immensa laborum
Excitet, ut nullo violenti turbinis ictu
In superos decrescat amor, laudesque piorum
Calcar erunt, tanquam accensæ nova pabula flammæ.
Nam sæpe in plano languenti deficit ausu,
Ardua qui novit superare cacumina montis;
Quæque feras risit navis bene sarta procellas
Non raro extremam patitur despecta ruinam
In portu, longoque situ consumpta dehiscit.
At navem prudens reficit Nauclerus, & omnes
Sedulus in partes tabulata, & carbasa tentat,
Et puppem, & proram observat, vastosque rudentes
Antennasque, altasque trabes, imamque carinam.
Sic promptus se se irato committere ponto
Nil Boream, nil sævum Austrum, nil computat Eurum.
Nescio quid magnum a vobis, quid nobile quondam
Expectant superi, in vobis sua castra probarunt
Felici auspicio, vestrum est ad magna parari
Gesta; quies animi, & positis blanda otia curis
Non incassum abeant, tempusque apponite lucro.
Concipite ardentes quæcumque ad prælia vires,
Ne merita ærumnis, & tanto parta labore
Desidiæ languor, somnique ignavia perdat;
Quæ tam conspicuos arbor tulit aurea flores,
Maturos edat decreto in tempore fructus.

# EPISTOLA VI.

Ad Societatis Jeſu adoleſcentes Provinciæ Aragoniæ.

*De peculiari B. M. V. præſidio.*

KAL. MARTII MDCCLXIX.

Virgo Parens noſtros dudum miſerata labores
Triſtitiæ dat ſigna ſuæ; ſi forte dolentem
Appellare licet, quæ Numine merſa ſupremo
Divino exhilarat divum conſortia vultu.
Hinc illa ærumnas ſociorum ſpectat Jeſu
Et merita expendit, pretium fructumque laborum
Numinis ante thronum charos memorare clientes
Gaudet, & ut genitus ſociorum nomine claros
Ornavit, ſic illa ſuos Dea maxima natos
Nominat, & tanto Mater dignatur honore
Jam longa exilia & rerum diſcrimina paſſos.
Quoque videt graviora pati & crudelius angi,
Hoc magis effigiem Nati cognoſcit in illis,
Et Jeſu ſocios ad Jeſum accedere geſtit,
Ac propiore ſequi Domini veſtigia greſſu.
Tum gremium oſtendit, quo ſarcina grata quievit
Ipſe Deus, dulceſque ſinus atque ubera ſignat,
Quæ quondam exſuxit mortalem indutus amictum
Omnipotens Infans cæleſti nectare paſtus;
Ora, quibus Puero ſæpe oſcula dulcia fixit,
Brachia in amplexus dulces adſtricta viciſſim,
Et reliqua inſtrumenta ſui manifeſtat amoris;
Cor quoque transfixum crudeli vulnere monſtrat
Deſignatque locum, quem tunc pertranſiit enſis
Terque quaterque redux; Domini tum corde micantes
Fixa oculos: hæc corda, inquit, mortalibus ægris
Per-

Perfugium commune ſuis cultoribus aræ
Inſtar erunt, finemque ferent miſerata laborum.
Tum ſimul in terris animi dat ſigna faventis;
Teſtis ades, Magne Ignati Pater optime gentis
Afflictæ: nec ſacra oculos modo fallit imago.
Ante fores Templi ſpirantia marmora vitam
Communis noxæ expertem, morſuque draconis
Intactam referunt Divam: jacet anguis, & ore
Lethiferum rodit pomum, pedibuſque prementem
Invitus patitur, ſinuoſa volumina torquens.
Splendidius Dea ſole micat, ſubjecta deorſum
Suſtinet adſtantem media inter cornua Phœbe;
Aſtra ferunt rutilam in gyrum duodena coronam.
Aſpicis ut teneros inſpiret pectore ſenſus
Diva potens cæli? ad ſummos quam Numen honores
Præparat? illa oculos fulget dejecta modeſtos
Conjunctaſque manus regna ad cæleſtia volvit.
Sed tamen expulſis templi cuſtodibus, ora
Mutat, & auxilium veluti oratura ſupernum
Attollitque oculos, tranſverſaque brachia cordi
Admovet, obſervant omnes ( namque omnibus ultro
Prodigium patuit, nec cauſa incognita facti )
Ut crucis in ſpeciem ſtringens ad pectora palmas
Angores animi, & ſedem deſignat amoris.
Sed jam confuſo reboant loca cuncta ſuſurro,
Per fora, perque vias cunctis Dea ſuggerit amplam
Materiem, & crebris implet ſermonibus aures.
Plurimus interea templi loca proxima miles
Cuſtodit; populum adſtantem, lateque fluentem
Expellit procul, atque aditum venientibus arcet,
Sed fruſtra; quis enim vulgi premere ora vel urbis
Excæcare oculos valeat, ne brachia cernant
Marmoreæ mutata Deæ, vultuſque precantes?
Utque fides facto accedat venientibus annis,
Judicio cauſa excutitur, cæloque negatur
Adſcribi, & quæcumque ævo miranda futuro

Eveniant; & vana rudis quasi fabula vulgi
Despicitur; sic lata auget sententia pondus,
Dum reprobat: dubiis non convenientia verbis
Argumenta adhibent testes, & in arte peritus
Effigiem observans fracturam in marmore nullam
Nullaque signa notat primam testantia formam;
Ast occulta manus longeque peritior istud,
Quod cernis, perfecit opus, nec plurima quæras;
Sat loquitur signis, aliis servantur honores,
Qui poterunt claris arcana agnoscere verbis.
Nescio quis mentem, quis me novus incitat ardor!
Abripior, rapidusque feror, Balearia longe
Littora diffugiunt; læva admiratus Iberum
Prospicio salsis amittere nomen in undis;
Jamque ferax altos offert Catalaunia montes,
Barcino me facili recipit ditissima portu.
Ingredior qua parte suos servabat alumnos
Diva parens, sobolem egregiam, juvenesque senesque
Emeritos: ascendo gradus, sese obvia primum
Exhibet ante oculos Divæ ( nec fallor ) imago:
Seu Zeusis pulchrum artis opus, seu pinxit Apelles.
Illa loci custos, ubi sacra silentia quondam
Fas decor integritas pietas & candida virtus
Incoluit, fixitque suam sapientia sedem.
Hæc præses studiorum; hæc pulchri mater amoris
Atque spei; cui mentem omnes, & corda sacrabant;
Diva animos rapit una meos; vellem oscula plantis
Figere pronus humi, sed me nova monstra retardant,
Et radii e sacro, ceu fulgur amabile, vultu
Emissi; velut ora movet, sed verba loquentis
Effugiunt; cæleste melos, suavissima vocis
Me species fallit; nec me meruisse fatebor
Sensa introspicere, & voces agnoscere Divum;
Ast ætate minor, magnis virtutibus heros
Dignus erit; video juvenem tria lustra ferentem,
Felicem juvenem! arrectis ille auribus adstat,

Ille

Ille retro amotis suspensus in aera plantis,
Deficiunt qua parte gradus, immobilis uno
Perstat in obtutu, atque oculis defixus inhæret.
Principio dolet illacrymans, dein gaudia præfert,
Et veluti bibit aure sonos, capit ore nitores.
Gens assueta dolo, magnarumque inscia rerum
Excutit; atque loco renuentem dimovet, auxit
Namque intenta animi virtus in corpore pondus,
Et sacra obliquos dum figit imagine vultus
Avelli dolet, atque suos suspirat amores.
Obstupuere omnes, primaque in sede reponunt
Immotum juvenem; magnis clamoribus urgent,
Nil tamen advertit, vox dulcior occupat aures;
Vestibus arripiunt, totam sublimior implet
Cura animum, pulsum observant, venasque latentes,
Corque micans ( nam corde refert signa omnia vitæ)
Sed numquam accitus tam docte exercuit artem
Cultor Apollineam, quam cum nulla arte mederi
Huic morbo, si morbus erat, se posse fatetur,
Excessumque animi cælesti ab origine ducit.
Qui tandem sacras urbis moderatur habenas,
Admonitus jubet ire virum, cui munia prudens
Dividit, officioque gravem, sociumque laboris.
Hic non auditis iterat tentamina verbis:
Sed tandem verbis, accito Numine, pondus
Addidit, a dulci videas emergere somno,
Stare loco immotum, seu respondere paratum,
Et faciles quo jussa ferant jam volvere gressus.
Qui puero virtutis erat morumque magister,
Atque ipsi præbere aures, veniamque solebat,
Missus in exilium, pelago jactatus & alto
Abfuerat, suppletque vices de more sacerdos.
Oh utinam mihi nota forent, quæ Diva benigno
Prædixit vultu, & commissa fidelibus hærent
Auribus, at nunquam nobis audita referre
Concessum, quod jura sacris vetuere ministris.

 Dum

Dum tamen attonitus delector imagine rerum,
Abripior rursum proprias revocatus in ædes;
Sed defixa manent animo, semperque manebunt
Visa prius: non quæ meditatur plurima cælum,
Quid portenta ferant, quo Divæ oracula tendant,
Agnosco, at pectus cælestia gaudia mulcent,
Nec nisi felices promittunt omina sortes;
Cum bene apud memores veteris stet gratia facti,
Tu mihi Virgo Parens rebus solamen amaris
Semper eris, tu certa meæ spes unica genti.
Proh quam difficile est donis cælestibus uti!
Nam sese insinuat concesso vana favore
Gloria; tum sensim meritis confidere nostris
Incipimus: pia simplicitas & candida virtus
Ingenito splendore caret: scelera impia vitat,
Sed non cælicolum penetrare arcana meretur.
Oh quondam dilecte Deo felicior esses,
Si saperes minus, & felix minus ante fuisses.

Vos tamen oh juvenes, queis tecta habitare beata
Contigit, effigiemque Deæ vultusque tueri
Sæpius, ad rupes quondam stabula alta ferarum
Nunc revocate animos: vestris in finibus extant
Manrelæ rupes, nostro dilecta Parenti
Effugia, & summis celebrata habitacula Divis.
Nempe magisterio doctus Loyola superno
Hic opus exegit, quod nec vis dira, nec ignes
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas:
Sed scriptor, non auctor erat, delapsaque cælo
Conspicienda oculis sensus Dea suggerit omnes,
Singula verba notat folio tradenda fideli
Lumine mentem implens, mira dulcedine pectus.

Sic Divæ effigies vestris in finibus exstat,
Cui quondam Loyola ensem, galeamque sacravit;
Atque moras longo impastus dum tempore traxit,
Nescius ipse sui Divaque intentus in una
Delicias & opes, perituraque gaudia sempsit,

Fa-

Fatalemque Erebo jam tunc accire cohortem
Decrevit, magnosque animum formavit ad ausus.
Vos equidem oh juvenes, (nec me decora alta retardant)
Alloquor, & quamvis cælo concessus ab alto
In cunctos transfertur honos, magnæque Parentis
Officia, a vobis cuncta emanasse fatemur.
Fons qui longinquos crystallinus irrigat agros
Felicem in vestris jactat regionibus ortum.
Felices urbes, felicia montibus antra!
Cuncta polus miris decorata favoribus ornat:
A prima ornavit nascentis origine turmæ,
Ornat adhuc, omni nam sic meruistis in ævo.
Nunc superest servare fidem, descriptaque cælo
Nomina venturis non stulte abradere noxis.
Quæ magis excolitur, magis est dilecta colono
Et magis impenso respondet terra labori.
Tarraco vos nuper primævo in flore juventæ
Excepit gremio, vultu vos Diva benigno
Servavit, largaque tegens sub veste clientes
Multa animis documenta dedit; vos fulmina belli
Tartarei timuere Duces, Diva auspice vestros
Ipsi hostes, dum bella augent, auxere triumphos.
Nec tantum incipiunt pugnæ tentamina; fortes
Irruit in juvenes totus exercitus armis.
Irruat: exilium, insultus, maria alta, procellæ,
Dulcis amor patriæ, suspiria blanda sororum,
Materni fletus, genitoris amabile nomen,
Et fratrum modo plena minis, modo verba querelis,
Et comitum monitus, promissaque magna faventum,
Quidquid id est, sive optandum, seu forte timendum,
Arma quidem violenta forent; quam certa triumphis
Nunc ea jactat ovans mendax infamia, nunc fraus
Livor, & impietas! clypeum sed Diva ministrat,
Quo vel sponte cadunt, vel jacta retunditis arma;
Et quamquam insultus rabido permittat in hoste,
Suggerit illa pares animos, victoria vestro

Linquitur arbitrio, satis est si vincere vultis.
Quin etiam mundi illecebræ, quin gaudia vobis
Sunt odio, & dulces reddit pia Virgo labores.
Tanta Deæ virtus, tam cæcus in hostibus error!
Illi nota quidem venturæ tempora pacis,
Sed modo vos oculis partes comitatur in omnes,
Auxilioque auget firmas in pectore vires,
Nunc vos, nunc genitum subridens prospicit alto
E solio, & roseas texit studiosa coronas,
Alligat illa rosas, quæ non marcescere possint;
Dextra, quæ Dominum quondam recreare solebat
Blanditiis, fortunæ hilares jam plaudite vestræ,
Jam cælestis odor nostris diffunditur oris;
Dextra qua quondam abstersit sudore madentem,
Ut sua jam vobis exempla relinqueret Infans,
Ne Duce Divino renuatis ferre labores;
Dextra qua madido lacrymas absterfit ab ore
Dum puer heu! crimen quod jam præviderat ingens
Hostibus in vestris, fletu plorabat amaro.
Non ego Virgo Parens, terras quas sæpe beasti,
Atque ubi materni tot amoris signa dedisti
Præcipuosque Duces sacræ elegisse cohortis
Tum placuit, dignosque tibi conducere pergis
Tot juvenes ( patriam Heroum appellare licebit)
Non ego sæpe tuo decoratas Numine terras,
Quas miris dignata modis, ( dum vita manebat )
Visere, jussisti cælo instructore columnam
Marmoream erexisse, & Te super ipsa locasti,
Æternum auxilii monumentum, & pignus amoris;
Terras, quas nosti sacris cultoribus aptas,
Crediderim longo carituras tempore Divum
Præsidio, & turmas peregrina in regna vocari,
Sed mihi sorte datum cæli decreta vereri,
Indagare tamen vetitum, suspiria tantum
Emittam prostratus humi, quæque aurea messis
Expectat falcem, meritis insignibus urbes,

Tot populi, tot Regna urgent vota addere votis.
Immo etiam noſtræ jamdudum aſſueta phalangi,
Quam ſæpe ad miſeras tranſmiſit Iberia terras
Gens procul a nobis ultra Garamantas & Indos
Ingemit, & magnæ ſupplex America Parenti
Vota offert, precibuſque preces communibus addit.
Vos tandem oh juvenes, majorum exempla ſecuti
Quod Pater Omnipotens ſuperis decreverit aſtris,
Ferte hilares; ſævis ſeu tempora dira procellis,
Seu tranquilla fluant, mentem ſervate fidelem,
Conſtantes ſervate animos, fidiſſima cælo
Pectora, ſint calcar meritis prius acta futuris.
Inque dies major ſenſim & maturior annis
Accreſcat virtus; magnæ ne forte Parenti
Diſpliceat charos vos dudum habuiſſe clientes.
Interea exercere animos, vireſque probare
Sæpe juvat, modo venturis præludere bellis,
Et promptum ( ceu caſtra polo dilecta ) mereri
Auxilium, inde preces ſiquid mea carmina poſſunt
Fundite; ſit veſtrum Divæ mihi gratia donum,
Hinc alios tantæ dignos quoque reddite ſortis.

---

# EPISTOLA VII.

## Ad Patres Societ. Jeſu Provinciæ Caſtellæ.

*Quod vix eorum aliquis defecerit, tribuitur SS. Ignatio, & Xaverio, quorum patria intra hujus Provinciæ limites continetur.*

### KAL. JULII MDCCLXIX.

Concipere ardentes generoſo in pectore vires,
Et prima intrepido ruere in certamina vultu,
Jam dudum electas laus eſt comitata cohortes;

Ma-

Magna quidem, non rara tamen; ſed rebus amaris
Quæ numero, quæ fine carent, cum turpis egeſtas,
Et maleſuada fames, fraudeſque dolique maligni,
Anguſtum exilium, rapido violentia curſu,
Indocilis livor, mendax infamia bello
Miſcentur, ſæviſque urgent maria alta procellis,
Quaque putabantur feſſis ſolatia turmis
Hauriri, nova ſe prodit ſeges ampla malorum:
Tunc in militibus quamvis ad magna paratis
Conſtantes ſervare animos, mentemque fidelem,
Hoc opus, hic labor eſt; dira obſidione cohortes
Sæpe vides alacri foſſas & mœnia vultu
Tentare, ignitoſque globos flammamque volantem
Projicere in clauſos dextris audacibus hoſtes.
Nec minus internam Dux imperterritus arcem
Undique cuſtodit, nunc hos nunc excitat illos
Providus, & partes volat irrequietus in omnes,
Damna prius reparare agilis, tum mutua damna
Inferre, & telis inimica laceſſere caſtra.
Si tamen in longos bellum producitur annos,
Et ſimul unito glomerata pericula ſurgunt
Impete, pars numero inferior ſe ſubtrahit hoſti.
Langueſcunt animi, vires in pectore rodunt
Tædia, ut inficitur durum rubigine ferrum.
Sic primos quamquam aſſultus formidinis expers
Suſtineat generoſa cohors, niſi prælia ceſſent,
Hæret adhuc dubiis anceps victoria pennis
Communi dum Marte alacris pars utraque certat;
Et forte eveniet magnos numerare triumphos,
Tum dare terga hoſti, & propriis diſcedere caſtris.
Quid tamen ambiguis memorant vos carmina verbis,
Egregii pietate viri: tot adire labores
Loyolæ ſobolem excelſam, tot volvere caſus
Compulit immortalis amor, ne Numine læſo
Deficerent, dum bella Erebus movet horrida, turmæ?
Namque olim Loyola acies, Dux ipſe ſupremus

In ſocios tanti diviſo munere belli,
Inſtituit, normam expertus legeſque probatas,
Et documenta dedit Ducibus ſervanda futuris
Tartareos contra inſultus Erebique furores:
Ne ſummi Regna alta poli, ſedeſque beatas
Amittant homines ſuperum ad conſortia nati.
His etenim Numen vitæ immortalis honores,
Gaudia divitias, cumulum & genus omne bonorum
Decrevit, dignis ut debita præmia factis,
Præmia magna quidem, at nobis merita ampla miniſtrat
Ipſe Deus, nec tanta homini meruiſſe poteſtas.
    Infernæ furiæ, quondam gens hoſpita cæli,
Invida quod ſummis expulſa e ſedibus orcum
Nunc habitet, pœnaſque animi ſcelerata ſuperbi
Æternum luat, atque homini loca perdita cedat,
Bella movet, ſemperque inhians mortalibus omnes
Convertit ſeſe in facies, arteſque nocendi
Mille adhibet; nunc illa dolis, nunc viribus uſa
Et mundi illecebras, ſenſuſque ad inania pronos
Gaudia conſortes bello ſibi jungit iniquo.
Et quamvis homini ſatis eſt, ſi vincere mavult,
Nam promptum auxilium, forteſque ad prælia vires
Suggerit omnipotens ſummi Moderator olympi,
Immo etiam dat velle ſimul, dat poſſe roganti;
Sæpe tamen ruere in præceps tot caſtra videmus
Sponte ſua, & pectus jaculo præbere cruento.
    At Deus a ſummo caſum miſeratus acerbum
Deſcendit cælo mortalem indutus amictum,
Atque viam edocuit, qua nos tecta alta ſubire
Convenit, invictuſque Erebo bella aſpera movit.
Tum ſocios tantorum operum, charoſque ſodales
Accivit; numeroque augens majore cohortem,
Sive Duces belli, ſeu ſancta in lege magiſtros
Appellare velis, totum diviſit in orbem.
Numinis exemplo plures labentibus annis
Surrexere Duces, lectiſque cohortibus orco

Bella indixerunt miris decorata triumphis.

Hos inter poſtquam accivit Loyola phalangem
Tartareo prima ante alias invaditur hoſte;
Vel quia fervet adhuc robur cordiſque vigorem
A Duce tranſfuſum, quod jam conceperat ortu,
Ut plures Erebi prædas acquirat olympo;
Vel quia paullatim generoſa per agmina torpor
Inſinuat ſeſe, & Numen ſua caſtra probare
Conſtituens, vigilantem animum curamque paternam
Subtrahere, atque Erebo laxare videtur habenas;
Ut turmas ſuperare ſacras, quin tollere nomen
Et genus inviſum, jam ſpe ſibi fingat inani.

Jam ſibi depreſſo lætus canit hoſte triumphum,
Gaudet ovans, quod prima octo gens Lyſia turmas
Expulit, & multis affinxit crimina factis.
Agmina quinque ſuis ejecit Gallia caſtris;
Non tamen illa viros, ſed Te, Loyola, parentem
Damnavit, legeſque tuas & jura refellit.
At prudens nullas ſignavit Iberia cauſas,
Quæ primos fœcunda Duces donaverat aris.
Quatuor ipſa ſinu ſervabat læta cohortes,
In ſibi ſubjectum ſeptem diviſerat orbem.

Quos amplæ pars magna Aſiæ, quos Africa tellus,
Quoſque ferax America ſinu gaviſa fovebat,
Amiſiſſe dolet, medioque Europa reciſos
Ingemit, obſervans campos, ubi caſtra fuere.
Adde, quod exul adeſt magnæ pars una phalangis,
Qua liquido videre Itali Phaetonta ſepulchro.
Tum qua ſcylla fremit, ſævitque adverſa charybdis,
Et flammam eructant montes cum ſulphure, turmas
Projiciunt duo regna ſuas, quæ prima ſalutant
Solis equos pelago emerſos; ſic hoſpita mundi
Italia obſtrictæ viſa eſt decreſcere genti.

Nec ſatis hæc: video totum nigreſcere cælum,
Aera denſari, & tetra caligine nubes
Neſcio quid gravidæ nobis fatale minantur.

Impendent capiti jam jam nova fulmina nostro,
Ni Zephyrus sævam, vel mitior aura procellam
Diluat, & cælo radiet lux alma sereno.
Nec mirum in nostris firmo pede sistere castris,
Cum laudes hominum, ( quamvis pars altera passim
Detraheret plausus ) animos, & gloria calcar
Addebant, cum grata seges sudore rigata,
Et virides fuso crescebant sanguine palmæ.
Tunc notos perpessa hostes immota manebat,
Nunc dispersa tamen, parvoque inclusa theatro
Insolitis irrisa modis, passimque relicta
Militiæ sociis, & queis pugnare solebat
Jam spoliata armis, constantem rebus in arctis
Exposcunt animum, fidumque cohortis amorem.
Loyolidæ tredecim, ter denaque castra tenebant;
Quatuor, & tredecim tantum numeranda supersunt,
Atque utinam numerus nunquam decrescat in illis,
Quin immo amissas reparent cum fenore vires.
Sed quacumque tamen totum dispersa per orbem
Agmina jactentur, semper fidissima cælo
Servari Loyola petit; nam sæpe malorum
Iliade oppressus, non ille laboribus unquam
Præscripsit metam, at votis optabat anhelis
Quæ reliqui timuere homines: hæc vota magister
Exemplo docuit seclis servanda futuris,
Hæc turmis documenta suis, normamque reliquit.
Tu socios inter, quamvis toto orbe remotus,
Qui primum obtinuisse locum, Francisce mereris;
Delicias, queis sæpe tuum pia Numina pectus
Mulcebant, procul esse rogas: sed pectore forti
Plura & plura pati votis sitientibus optas,
Cum numero, cum mole graves oppressus acervo
Lætaris pluvias a cælo grandinis instar
Effluxisse cruces, ut prævia signa laborum,
Quos tibi jam Ganges, rapidusque paraverat Indus,
Prima ubi purpurei rutilant cunabula Solis.

Ergo agite illuſtres animæ, clariſſima gentis
Nomina, qui proprius majorum exempla ſecuti
Pectoris infracti reliquis monumenta dediſtis;
Veſtra cohors octo pluſquam centena virorum
Deſcribit, vix octo viri ( mirabile dictu )
Deſeruere ſuos tam ſævo in Marte ſodales.
Noſtra quidem ( fateor ) ſeries numeroſa cohortum
Non adeo ſtrictis arctatur legibus, ultro
Dimitti, medioque valet diſcedere campo
Libera, nec clauſos objectant limina poſtes.
Sic placuit ſtatuiſſe, ineat ne prælia miles
Invitus, meritumque addat generoſa voluntas.
Ut virtus animi roburque ad bella probentur
Tyronum, ſtudium duplici protenditur anno,
Reſtat adhuc ſuſpenſa bilanx in utrumque parata,
Hæret & in bivio miles, tria luſtra merendo
Tranſigit, ut juſto librentur pondere geſta
Singula, & ut caſtris tandem indelebile nomen
Inſerat; heu! nomen dudum indelebile, multis
Horrida tempeſtas nunc ſævo turbine radit.
Hæc ego dum tacitus confuſa mente revolvo,
Nuper viſa mihi fictis prudentia ſignis,
Sic oculos, ſic illa manus, ſic ora ferebat,
Cuncta Deæ ſimilis, vultu compoſta ſereno;
Pone modum longis animi cruciatibus ( inquit )
Imminui ſi forte vides toto orbe cohortes;
Partem mole gravi ſeries inopina laborum
Opprimit, exilium mærores vincla procellæ,
Felices qui jam parto occubuere triumpho.
Conſilio meliore ſuis pars altera caſtris
Subtrahitur; quid enim vegetis lenta otia proſint
Militibus? quos non aditus, non area pugnæ
Ulla manet; queis tela manu ſpes dempta gerendi?
Sed ſi tantus amor prædas acquirere cælo
Facundo ſive ore tones, & fulmine linguæ
In roſtris vitia exagites; ſeu ſcribere mavis,

Ro-

Romanæ ut Fidei cauſam tueare docendo
Seu potius monitis placide ſuadentibus optes
Inſtillare animis dulcem pietatis amorem,
Sive reos audire ultro commiſſa fatentes;
Aut mentem inſtruere, & cultam exercere juventam
Artibus ingenuis, ſanctoſque inducere mores,
Depoſuiſſe juvat primum cum nomine veſtem
Omnibus inviſam; quondam fuit illa decori,
Nunc meritum & pondus factis illuſtribus aufert.
Quid gladium aſſervare juvat, quem lurida rodit
Ferrugo, quique ad nullos adhibebitur uſus?
Si cultro indigeas, gladio tibi confice cultrum,
Paucula fac ſaltem, fieri ſi magna vetantur.
    Talia dicentem, ſed dicere plura parantem
Averſis horrere oculis, vultuque minaci
Incipio, mirorque Deam tam ſtulta profari.
Tum nares offendit odor, qui ſulphuris inſtar
Indicat hanc larvam ſtygiis veniſſe cavernis.
Proxima ſervabant Lojolam ſcrinia, tecto
Stat capite, alatum baculo minitante Draconem
Inflammatum oculis, ſpumas rabido ore vomentem
Impetit; objecta terretur imagine fallax
Forma Deæ, in nigramque fremens evanuit auram.
    Tum mihi cæleſti delapſus Xavier aula
Conſtitit ante oculos; nec vana illuſit imago
Ancipitem; tanta implebat dulcedine mentem,
Tanta ſerenato fulgebat gratia vultu!
Tum mihi conſpicuis retegit fallacia verbis
Conſilia, & pretium oſtendit, fructumque laborum,
Quæ miles non ſponte ſubit; Deus arbiter eſto,
Tum nobis offerre animos ad magna paratos
Sit ſatis; utque labor, ſic otia juſſa probantur.
Non tamen indoleas, inquit, ſi plurimus agmen
Deſertor forte imminuat; namque unica virtus
Non numerus cælo eligitur, damnabitur error
Inſidis profugis, ſed eodem caſtra vigore

Auxiliante polo conſtant; ea ſenſa magiſtro
Lojola didici; & quondam dum vita manebat,
Hæc mihi mens fuerat victuris tradita chartis;
Exeat a caſtris, proprio quicumque labores
Eligit arbitrio; ſi plures inficit error,
Ad magnos ſatis eſt unum ſupereſſe triumphos;
Unus ad extremas potuit divertere gentes,
Ignotos penetrare Indos, atque intima tutus
Regna Malabariæ, & poſtes ſuperare Sinarum.
Dumque Europa decem vidit flaveſcere meſſes,
Me populi videre Aſiæ velocius aura
Per mare per terras per inhoſpita regna volantem,
Ut decies terrarum orbem metirer eundo.
Millia mille vices hominum, & bis millia centum
Volve animo; tot enim ablueram luſtralibus undis;
Adde etiam plures, quos ſacra ad limina duxi.
Sed tamen electus, ſed cælo miſſus ab alto;
Nam cum lenta mihi præſcripſerat otia cælum,
Delitui, clauſique accenſas pectore flammas.
Non oritur noſtri fructus ſeges ampla laboris,
Quamque alius nunc falce metit, debetur egeno
Forſitan ignoto; penetralibus ille remotis
A cælo auxilium roremque precatur & imbres.
Sic quamvis meſſem multo ſudore rigatam
Colligere exoptes, vacua miſerabile dextra
Invenies lolium, niſi Numen vota ſecundet.
Non iter ad ſuperos, niſi qua nos Numen ab alto
Evocat, hac merui, quos tu miraris honores;
Quamvis ſolus amor fuerat, non præmia calcar.(
Quid tamen hæc? propone animo, quod imagine ſervas,
Exemplar, venerare Ducem, venerare Magiſtrum,
Communem venerare Patrem, vel rupe latentem
Manreſæ; vel dum viles ſibi quæritat eſcas,
Vel dum pannoſo veſtes commutat egeno,
Sive ægros inter, pelago nunc cerne vagantem,
Nunc terris peditem, riſuque, & fuſte petitum,

Nunc

Nunc vinclis, nigraque ſepultum carceris umbra.
Aſpicit has inter ſi vos Lojola procellas,
Ipſe ſui dignas gaudet cognoſcere turmas,
Dimittique monet, quos vili pectore noſcit.
Tempus erit (Siculo nuper prædiximus ægro
Optatam a cælo dignati afferre ſalutem)
Cum ſelecta ſuis exercitus agmina ducet
Huc, illuc diſtincta locis! tunc fæcibus aurum
Purgatum mirum ſparget toto orbe decorem.
Dixit, & in proprii ſe luminis occulit umbram.
Ipſe diu immotus defixi lumina cælo
Auribus arrectis, & adhuc haurire videbar
Mellifluoſque ſonos & dulcia verba loquentis.
Inde abii in lacrymas, neque enim cognoſcere plura
Dignus eram: hinc proprias perluſtrans undique veſtes,
Quamvis attritas uſu, laceraſque rudeſque
Amplector, ſtringoque ſinu, tum dulcia figo
Oſcula, vos (aio) tanti ſervanda Parentis
Signa mihi, ſigna obſcuro ſervanda ſepulchro,
Nec dum vita manet, nec vos poſt fata relinquam.
Si mihi tam dulces inſtillat pectore ſenſus
Xavier, & tenui Loyola in imaginis umbra,
Quantum erit in veſtris virtus animoſior oris,
Quas patrio Lojola beat, quas Xavier ortu?
Ipſe (fatebor enim) dum me recreabat imago
Alterius, dum ſenſa alter divina monebat,
Vos, animæ illuſtres, ſub eodem ſidere natos
Mente ſimul fixos, imoque in corde tenebam.
Quos ego mirabar, tacito mihi viſus uterque
Laudare, exemplumque aliis proponere nutu.
Si Patriam contemptor opum, contemptor honorum
Sponte exul, nullos iterum rediturus in annos
Deſervit Lojola, illam nunc lætus ab aſtris
Se dignam, & multa fæcundam prole reviſit.
Vos natos vocat ille ſuos, charoſque ſodales
Xavier, & dulci repetunt cum nomine laudes.

Si Patriæ lacrymas olim contempſit uterque
Non odium, ſed ſanctus amor pia pectora movit.
Nunc eadem pietas Patriæ ſuſpiria coget
Solari, flectuque undantes tergere vultus.
Non ego quæ veſtris monumenta perennia Regnis
Veſter amor memori ſervat pietate, canendo
Evaleam enumerar, tui quæ ſigna ſuperſunt,
Jeſuadum Princeps, quæ prima in luminis auras
Eductum, quæ tecta olim videre puellum,
Atque ubi crura iterum cultro reſecanda dediſti,
Crudelem abſorbens generoſo corde dolorem:
Aut ubi cauſa animi dum quæris fallere tempus,
Heroumque acta, & virtutum exempla revolvis,
Se pietas ſenſim inſinuat, jamque æmula flagrat,
Atque aliena tuis normam proponere geſtis
Dius amor tacite illapſis in pectore flammis
Excitat, & magnos animum formavit ad auſus.
Sæpius hic tenuere oculos conſortia Divum,
Hic proſtratus humi ſupplex in vota jacebat,
Angulus hic ſævis lacerantem membra flagellis
Viderat, hic miſeris ſolatia præbuit ægris;
Hic quondam hoſpitio exceptus, cum maluit hoſpes
Eſſe inopum, quam Fratre domum invitante paternam
Incolere; hic populo ſparſit documenta ſalutis.
Vix tamen incepi tanti memorare Parentis,
Et nate illuſtris, quæ plurima, Xavier, extant
Mille locis monumenta tuam teſtantia famam,
Ecce recrudeſcunt peramanti vulnera corde,
Et mixtus pietate dolor, quis talia volvens
Temperet a lacrymis? ſed jam ſolatia noſtro
Fœnore multiplici veniunt conceſſa dolori.
In Natis, Loyola, tuis, in Fratribus orbis,
Xavier, agnoſcet veſtros in imagine vultus.
Quantum olim valuere Duces nunc agmina monſtrant.
Tantorum Heroum tot clara exempla ſecuti
Eximia virtute viri regna extera quærunt

Ex-

Expulsi, vobisque pares meruere vocari.
Ergo agite illustres animæ, quas Patria felix
Edidit, & dulcem precibus mihi quærite sortem,
Me miserum ut natos Lojola recenseat inter,
Xavier immeritum Fratris dignetur honore.
Vestra meo pietas sic respondebit amori,
Et bene promeritos de me vos esse fatebor.

---

# EPISTOLA VIII.

Ad Socios Mexicanæ Provinciæ
præcipue

*Ad viginti & unum minoribus, & sacris ordinibus
nuper initiatos*

*De reditu in Provinciam Augurium.*

KAL. SEPTEMBRIS MDCCLXIX.

MExiaci decora alta soli, qui ditia nuper
Regna colebatis septem subiecta trioni.
Hic varios creat unda sinus, & plurima nautis
Insula tardat iter; tellus hic inde propinqua
Cogit in adversum vigili deflectere clavo.
Parte alia fluctus longo Caliphornia tractu
Dividit, extremosque abscondit inhospita fines.
Hic mare pacificum sævis immune procellis
Spectat utrumque polum, & nostro commercia ponto
Vix servat, non visa Italis ubi sidera fulgent;
Sed cur longe abeo? Vestras redeamus ad oras.
Hic ubi gens quondam argento ditissima & auro
Imperium late extendit, sedesque locavit,
Postquam multiplici confusa idiomate turrim
Deseruit, monumenta animi imperfecta superbi,
Hic ubi terra offert sapidos uberrima fructus

Europæ ignotos, segetes duplicantur in anno,
Versicoloratis colles & culmina gemmis
Splendescunt ; pretiosa suis nemora ardua sylvis
Intonsum caput ad cæli confinia tollunt,
Vivida cæruleæ transmittunt lumina conchæ
Naturæ ludentis opus , quæ mobilis auræ
Alatas mira depinxit veste phalanges.
Temperiem cæli faciles comitantur ad usus
Orta salutiferis passim medicamina campis;
Nec tantum dives , qua se spectabile prodit ,
Ridet ubique solum, sed si cava viscera quæras,
Immensas abscondit opes, queis ditat Iberus
Sæpe repercusso venientes æquora classes.
Quid referam mediis quæsitum a fluctibus usum?
Et geminas a rivo urbes, & versa deorsum
Templa domos calles elata palatia, moles
Conspicuo ostentare joco, ceu quæque triumphum
Jactitet, & primum ducat sibi laudis honorem?
Sive undam observes, tot ligna domosque vagantes
Miraris , queis nec numerum nec nomina quæras.
Sive urbem , qua munditìes, qua splendida rerum
Pompa nitet, Procerum vilescit vestibus aurum,
Vilescunt gemmæ, queis crinem & pectus inumbrant
Matronæ, tu nexa simul parva astra putares
Descendisse polo, & varios sumpsisse colores.
Tum jubar emittunt rapida velocius aura
Innumeri currus: retinet pulcherrima fixos
Forma oculos; auriga rotat dum tortile flagrum.
Ignescunt patulæ nares , & compare motu
Incedunt, flectuntque viam mira arte jugales.
Divitias cuncta ostendunt & cuncta decorem.
    Sed quid ego! maiora vocant; vos parcite vati,
Extenuat magnas humili si carmine laudes.
Namque per ignotos audax Hispania fluctus
Vix ubi detexit priscis abscondita seclis
Regna, novumque orbem, vestras Dea maxima terras
Fle-

Elegit delapſa polo, quo regna bearet
Cætera, Mexiacis ſolium ſibi fixit in oris.
Hic miris affata modis ſibi templa ſacrari
Juſſit, divinos promens in imagine vultus.
Servanda æternum populis ea ſigna reliquit
Electis, ſigna auxilii manifeſta perennis.
Florum inimica lues, crudeli frigore terras
Obdurabat hyems, glaciemque ferebat & imbres;
Cum placuit Divæ placituram imponere legem;
Utque fidem adſtrueret, non incuſſura timorem
Monſtra adhibet, ſed grata oculis miracula profert.
Ruſtica ſimplicitas timida vix excipit aure
Imperium, documenta fidem teſtantia quærit.
Profert Diva roſas, intacti ſigna pudoris.
Ante alios Divæ placuere roſaria flores;
Nam roſa contactum ſpinis armata profanum
Longe arcet, frondes inter ſtudioſa decorem
Servat, & in mediis ſe pulchrior explicat umbris,
Cum ſolis petitur radiis evanida languet.
Quas Superum Regina ſuo ſub nomine gentes,
Et gremio excepit, veſtris committere curis
Decrevit magnæ ſoboles divina Parentis.
O animæ illuſtres, o gens gratiſſima cœlo!
Quod tanto Omnipotens vos ſit dignatus honore
Gratulor, at facto laudum ſeges ampla recenti
Exoritur, quod vos acri certamine dignos
Noverit, & longo ſibi pectora fida probarit
Exilio, quique exilium comitantur acerbum
Non intermiſſo gravium torrente laborum.

Ac veluti fulvum purgatur in ignibus aurum,
Et pretium acquirit, quamvis pretioſius omnes
Naturæ fætus primo ſuperaverit ortu;
Namque metallorum ſpernens ignobile vulgus
Dotibus eximiis, luce & meliore ſuperbit.
Haud ſecus ex hominum cum vos pia Numina cætu
Elegere aliis fidei morumque magiſtros,

Appellare aurum, atque iterum appellare licebit
Mexiaci decora alta ſoli, clariſſima mundi
Aſtra novi: Patriam vos cæca in nocte ſepultam
Luſtraſtis: vos illi oculos lucemque dediſtis.
Per vos humanos didicit gens barbara mores,
Per vos recta ſequi, per vos meliora doceri
Indociles gaudent populi, ſpelæa ferarum
Quæ fuerant, fidei nunc culta novalia florent.
Si quæ tot meritis inerant, expellere fæces
Nunc placuit Superis, & reddere purius aurum:
Quis vetat ærumnas torquentem dicere flammam?
Nec cunctis ſuperare datum tot ubique procellas
Turmatim exortas: o terque quaterque beati,
Queis ante ora Patrum domuum interiore receſſu,
Aut lato oceano, aut dira obſidione cohortum
Contigit oppetere, & longas evadere pœnas?
Quas aliqui forſan ( nullum ſit in omine pondus )
Ferre diu nequeant, clypeoque micante triumphis
Emeriti, ſibi dedecori, multiſque dolori
Vertantur, ſi quos medio in certamine cogat
Libertatis amor Regis vexilla ſupremi
Deſerere, atque hoſti & ſociis dare terga relictis.
Vos animæ fortes, magni generoſa propago
Lojolæ; ceu palma Indis ſat nota colonis
Pondere preſſa gravi, nam tunc animoſior auras
Surgit in æthereas, & vertice tangit olympum,
Durate, & longis animum ſervate periclis.
Interea afflicti populi, gens indiga veſtro
Auxilio, nova regna ſuis viduata miniſtris
Singultus lacrimas gemitus ſuſpiria queſtus
Emittunt cælo, & votis ardentibus orant.
Quid potuere, aiunt, in te committere tantum,
Summe Deus? quondam errantes nemora invia circum
Nunc ultro ſecura greges in ovilia juncti?
Quod ſcelus inviſum tua nunc mitiſſima movit
Pectora, ut arceres ægræ medicamina turmæ?

Paſ.

Paſcua ſubtraheres ovibus, ſineresque Magiſtros
Avelli! tantæ ne animis cæleſtibus iræ!
Quid ſi nulla polo terrarum cura fuiſſet,
Incertoque Deus ſineret fluere omnia caſu?
Crimen erat bibulas præbere docentibus aures,
Et patrium nemus & priſcos deponere mores?
Quærere templa Deum, & præſens agnoſcere Numen?
Crimen erat vigili documenta ſalubria vitæ
Cuſtodire animo, & morum ſine labe tueri
Candorem, neſcire dolos, nec texere fraudes?
Lojolidæ ſecum auxilium, ſecumque levamen
Doctrina & pietate ferunt, quocumque repulſi
Crudeli exilio, qua ſint ratione ferendi
Et norunt, & nos poſſent docuiſſe labores.
Sed nobis hæc pœna venit; nec Iberia jactes
Subſtituiſſe locum: non adjutoribus iſtis
Tempus eget; quid enim venalia pectora noſtrum
Mittis in auxilium, nec nos, ſed noſtra requirunt?
Utque minora vident, avido quæ commoda primum
Concepere animo, noſtris diſcedere terris
Feſtinant: hac arte placent; abeuntibus ultro
Plaudimus: afferre hæc tantum ſolatia poſſunt.
Longe alius inerat noſtris paſtoribus ardor.
Quiſque ſuas noſcebat oves, ad amabile vocis
Imperium, nunc damna greges nocitura cavebant,
Nunc tuta irriguis ducebant otia pratis.
Non lupus inſidias auſus ſub luce maligna
Moliri, non ungue ferox rapidiſſima ſaltu
Verſicolor tigris, rictu non urſa cruento.
Sic quacumque ibant teneri cum matribus agni,
Fons erat irriguus, nitidis argenteus undis,
Læta miniſtrabant lactentes paſcua campi;
Et ſilvæ, & ſapidi nemora inter agreſtia fructus:
Nobis dempta quies; illis mutata laborum
Area: jam ſoliti merita ampla acquirere gaudent.
Talia dicentes; ſed dicere plura parantes

Miſſa

Miſſa ſerenato recreant ſolatia cælo.
Intonuit læva, & radios via lactea fudit
Solis ad invidiam qua parte intermicat Argos.
Non mihi fas audita loqui, non viſa referre;
Nam ſigna humanos ſuperant cæleſtia ſenſus.
Dicite Mexiacæ gentes portenta faventæ
Sparſa polo; vidiſtis enim, & memorare poteſtis.
Mecum una Genius (quamvis toto orbe remotos)
Lunæ extra ſoliſque vias vos contulit, alto
Lucida ſublimes calcavimus aſtra volatu.
Vidimus æthereum placide ſurgentibus æquor
Fluctibus, & navem ventis dare vela ſecundis.
Plurimus ad proram nigranti in veſte ſodalis
Viſa prius notis memorabat littora terris;
Parte alia vitro ornatæ, penniſque volantum
Veſte rudi procul implebant cava littora gentes;
Exultare animis, altos intendere plauſus
Certatim aſpiceres, depictaque gaudia vultu:
Candida ut elatis agitabant lintea dextris,
Dum feſtiva alii tollebant brachia cælo.
Vir quoque non habitu diſpar, venerabilis ore,
Æthere ſuſpenſus medio navemque ſuoſque
Proſpicit, arboreo oſtendens de cortice ſyrma;
Quondam veſtis erat, ſuperum ſed munere dignum
Cæleſtes afferre roſas, dextraque ſuperna
Depingi, nunc longe alios ſervatur in uſus.
Quæque expreſſa rudi Divæ Genitricis imago
Syrmate conſpicitur, veluti vaga ſidera Titan
Luce ſua abſcondit: ſic partem illuminat omnem
Sic radiis cælum, ſic navem & littora complet.
Ad genitum, adverſa qui ſceptrum nube tenebat
Viſa loqui, intenta vix hæc excepimus aure:
Sunt mihi ter ſeptem florenti ætate clientes,
Quos ego: cæleſtes rapuerunt cætera cantus.
Nam ſimul Aligeri lætis per inane choreis
Mulcebant aures dulci modulamine vocum.

Vos tamen in medio potui dignoſcere cætu,
Egregii Juvenes, a Præſule nuper inunctos
Ante aras, ſuperiſque novo jam munere ſacros.
Vos ore interea proſpexit Diva benigno,
Vos verſis in navem oculis ſignaverat Infans
Indice; majori conſpergens lumine vultus.
At miſerum! dum me rerum paſcebat imago
Lætior, ex oculis citius diſparuit aura.
    Eja agite æthereis dudum notiſſima regnis
Nomina chara Deo, divinæ chara Parenti,
Deliciæ Superum, atque albo ſignata lapillo.
Vos claros pietate viros, juveneſque, ſeneſque
Emeritos, vos vos populi regna oppida & urbes
Expectant, certis ſubſcribunt Numina ſignis.
Ibitis, & veteres dabitur renovare labores.
Terra inculta diu majorem exercita meſſem
Proferet, oſtendent exempla domeſtica normam,
Et quamvis avido parebunt arva colono;
Gratum opus agricolæ præſtabitis inde ſupremo,
Qui ſegetem electam cæleſtia in horrea condet.
Quin etiam exultabit ovis redeunte magiſtro,
Dulcibus accurrent læti balatibus agni.
Ibitis, & notos vultus nota ora reviſent
Mexiaci populi, clypeoque inglorius albo
Nullus erit, regnis merita acquiſita remotis
Agnoſcent, vetereſque juvabit ſumere curas.
Ibitis edocti natu majoribus: audax
Non aquila indoleat timidam generaſſe columbam,
Qua ſenior ſignata olim veſtigia monſtrat,
Secum una Juvenes auſu majore videbit
Ignotas tentare vias, & Numen in omnem
Ferre locum, Divæque pios extendere cultus.
    Vos ego, quos dulci ter ſeptem expreſſit amore
Mellifluus Puer, & verſis ſubriſit ocellis,
Contemplor reliquos claris præcedere geſtis.
Chriſmate queis ſacro conceſſum eſt numinis alti
Exer-

Exercere vices, quos cælo Præſul ad aras
Addixit, dum vaſa manu tractanda fideli
Tradidit, & ſuperum referentem oracula librum;
Impoſuitque manus venerando indutus amictu,
Auguſto in templo, montiſque in vertice Præſul,
Candida cui nomen fecit ſine felle columba.
Auguror ex cunctis vates felicia ſignis.

Quin etiam ſcelerum veniam indulgere dolenti,
Et Numen placare dedit mortalibus ægris.
Nec ſatis hæc: micat ante omnes conceſſa poteſtas
Maxima, namque homini (vix verba potentia profert)
Filius ipſe Dei, rerumque creator obedit;
Divinumque latet ſub panis imagine corpus,
Sub ſpecie vini, qui fluxit corpore ſanguis,
Et panem, nec jam panem (mirabile dictu)
Et vinum, nec jam vinum, ſed Numen adoras.
Hæc portenta fides oculis contraria noſcit.

At vos Mexiaci populi, ſi nubila currunt
Tempora, ſi ſævis lacerantur rura procellis,
Si crudelis hiems glaciemque geluque minatur,
Depreſſos revocate animos, cum fœnore cælum
Præparat auxilium, & præſens in tempus omittit.
Ut poſtquam injecit ſulcato in rure colonus
Semina; dum veniant auratæ tempora meſſis,
Diſcedit, non ille ſuos curare labores
Cernitur, at falcem tacitus diſponit aduncam.
Haud aliter veſtro documenta ſalubria cordi
Lojolidæ injecere prius, nunc provida cælo
Vota ferunt, reduces demum ſeges ampla vocabit;
Mutua collecto tunc creſcent gaudia fructu.
Spes ea, (nam juſtum adveniet, ne arceſſite tempus,
Nec legem, aut certos cælo præſcribite fines,)
Deſertas ſoletur oves oviumque Magiſtros.
Veſtrum erit interea ſuperum decreta mereri.

EPI-

# EPISTOLA IX.

## Ad omnes Societ. JESU

*Hiſpanos, & Luſitanos in Statu Pontificio præcipue in Æmilia degentes, cum aliis ſex Epiſtolis ad aliquarum Provinciarum ſocios jam pridem tranſmiſſis.*

KAL. JANUARIS MDCCLXX.

SEptima diſperſos quærit mea littera fratres
    Littera conſilii fida miniſtra mei.
Ultima præcedet reliquas comitata ſorores,
    Ultima ſit quamvis, nuntia prima feret.
Qua, niſi mi dederint, careo miſer ipſe, ſalutem,
    Poſcere ſollicitus, mittere cogit amor.
Vade ſalutatum, quæ nunc mihi ſola ſuperſunt
    Gaudia, pars animæ pluris habenda meæ.
Vade, ſed inculta qualem decet exulis eſſe
    Veſte: rudes habitus flebile tempus amat.
Nec doleas mitti ſparſis ſine lege capillis;
    Hæc etiam dominus ſigna doloris habet.
Dumque per Æmiliæ peregrina vagaberis urbes,
    Oppida cum parvis quære minora locis;
Quacumque invenies nigra ſub veſte ſodales,
    Te ſupplex oculis ſiſte legenda ſuis.
At cave fallaci ne quis ſimuletur amictu,
    Imputet ut reliquis, quæ male ſtultus agit.
Seria nec timeas, quamquam verearis oportet,
    Quæ reteges placidis ora benigna modis.
Nec ſimilem quo te ſcripſi mirare colorem;
    Ille color veſtem, cætera candor habet.
Sic lacera ſub veſte latent & paupere tecto
    Integritas vitæ delitiæque animi.
Neve parum poſſis agnoſcere, reſpice vultus;
    Irridet ſenſus extera turba pios.

Stringitur ad collum flexo curvamine vestis,
Zona ligat mediam, cætera verrit humum.
Pendentes lateri globulos quoque zona precantes
Servat in obsequium, maxima Diva, tuum.
Inde fluunt manicæ, & corpus, non brachia cingit
Quæ longa anterius vestis aperta cadit.
Per fora per calles per amæna vagantibus arva,
Si caput excipias, omnia syrma tegit,
Tum solito gravior supereminet ora galerus,
Ne radiis Titan lædat, & imbre polus.
Sive domum ascendas, libris incumbere cernes,
Poplite vel flexo Numinis ante pedes.
Invenies binos lento procedere gressu,
Si media occurras conspicienda via;
Demissos observa oculos, si pallida forsan
Ora notas, macies si cavat ægra genas
Aspice ut indubiis prodant sua gaudia signis,
Quæ mihi tu rediens prodita signa refer.
Solamen misero est socios habuisse dolorum,
Sed tua solamen nuncia majus habent.
Nam mala quæ patimur, qua sint ratione ferenda
Ostendunt, miris instruimurque modis.
Ne te importuno mediis sermonibus infer
Carmine, consilium resque locusque dabunt.
Si poteris vacuo tradi, si forte legendo
Annuat, atque prius lecta relecta probet.
Versus & ad comites hilari subrideat ore
Sume animum, & reliquum prome libenter opus.
Ipsa minor (dices) septemque extrema sororum
A domino mittor duxque comesque viæ.
Ille suum scriptis bis ter patefecit amorem,
Idem, quo flagrat, me quoque scripsit amor.
Nunc mecum adjungit, quos sparserat ante libellos
Tempore non uno, multiplicique loco.
Nempe suos quondam celebravit carmine Lusos
Quos prius ingrata noverat in Patria.

Al-

Altera conſtantem laudavit Epiſtola pubem,
Laudibus eximiis digna juventa fuit.
Alloquar ipſe tamen, pro me non ipſa loquaris,
Indue perſonam, littera miſſa, meam.
Adde, quod aſpectu dum læta frueris amico
Fingam animo fratres inter adeſſe meos.
Quod mea ſi dulci mens paſcitur anxia fraude,
Quære celer Domino gaudia, rumpe moras.
Qui mea nil ſenſi miſeræ infortunia ſortis,
Quamlibet obrueret dira procella caput.
Naufragio ſæpe ereptum nova corripit unda,
Nec ſatis eſt primis procubuiſſe malis.
Attamen in veſtros mens angitur ægra dolores,
Atque aliena minus, quam mea damna fero.
Nulla ( nec indigeo ) pro me ſolamina quæro,
Sed cruciat veſter pectora noſtra dolor.
Efferа jam victum ſors me doluiſſe coegit,
Veſtra levat pietas, me mala veſtra gravant.
Sic vos lætitiæ, ſic vos mihi cauſſa doloris,
Quod durum fertis, quod bene fertis onus.
Vix meus hic aliqua dolor eſt medicabilis arte,
Dulce tamen vati Muſa levamen erit.
Illa dat alternas audire & reddere voces,
Me rapit, & variis dat ſimul eſſe locis.
Dum fera Lojolidas tempeſtas jactat, ab oris
Oh utinam ejiceret Lyſia ſola ſuis!
Credideram miſeris metam adveniſſe laborum,
Irrita ſpes ſævo turbine noſtra fuit.
Luxerat interea variis agitata procellis
Gallia, & in toto ſpargitur orbe furor.
Lojolidas propriis tandem arcet Iberia regnis,
Et qui Borbonico ſanguine ſceptra gerunt.
Vidimus inſignes meritis, virtute probatos
Quos Sancta ex alio miſerat orbe Fides.
Sex decies primum, tum centum aſpeximus urbe
Fanenſi tardos ſollicitare gradus.

Sudor enim vultu , totoque in corpore languor
    Cogebat media sæpe sedere via.
Plaudere commotos venientibus undique cives
    Vidimus, & larga mittere dona manu.
Sors mihi concessit blandi solatia vultus
    Afferre, atque animi prodere signa mei.
Hospitium & viles lassis invenimus escas,
    Tempore difficili quas dare possit amor.
Non humeris puduit fructus portare recentes,
    Non olera , & truncos ligna cremanda rudes.
Non piguit totas morituro impendere noctes,
    Et feretrum longa sustinuisse via.
Oh utinam possem , quod me potuisse recordor,
    Ferre opportunum providus auxilium!
At terra ejecti ventis agitamur iniquis;
    Nos eadem jam jam naufraga puppis habet.
Hinc tandem Eugubium petiit generosa juventus,
    Et stabilem clara fixit in urbe domum.
Planitiem in mediis ibi montibus Umbria jactat,
    Fæcundoque nives ridet amæna solo.
Tertia jam notos quæsivit epistola fratres:
    Sic laudum scriptor, sic quoque testis eram.
Restabant nostræ monumenta perennia sortis,
    Seu nova mirari, seu prius acta velim.
Multiplici nam Virgo Parens in imagine nobis
    Præbuit auxilii publica signa sui.
Tunc ego, quos mittit variis Aragonia regnis
    Alloquor , & meritos littera quarta petit.
Quam Dea dilexit, communes reddit honores
    Gens clara, & merito nos beat illa suo.
Littera quinta viros fortissima pectora quærit,
    Æmula communis proximiora Ducis.
Quam patrio Lojola ornat , quam Xavier ortu,
    Felicem extollunt carmina nostra plagam.
Cur ego non potui cunctis solamen amicum
    Præstare, & famulas saltem adhibere manus.

Ba-

Bajulus ipſe forem, madidos ſeu tergere vultus,
Seu laſſos eſſet cura lavare pedes,
Excutienda foret ſeu pulvere ſordida veſtis,
Seu parva oppoſito cœna paranda foco.
Dulces amplexus atque oſcula dulcia veſti
Felix, nec tanto dignus honore, darem.
Vos ego Mexiacas potui juviſſe cohortes,
Quamvis longinquo diſſitus ipſe loco.
Sacra miniſterio jam dudum offerre ſupremo
Impatiens multis pectoris ardor erat.
Præſulis officium, promptamque in munere dextram
Inveni: eventum vota habuere ſuum.
Quin etiam tenero accitos excepit amore,
Tecta parat, curis in vigilatque piis.
Fas erat ut juſtas retuliſſet epiſtola grates,
Quæ fuerat muſis ultima cura meis.
Cur tamen in reliquos tacuit mea muſa ſodales,
Cur medium abrumpo deſidioſus iter?
An minus urget amor? Credam minus acta mereri?
Abſit me tanti criminis eſſe reum.
Juſta quidem, diverſa tamen me cauſa coegit
Irrigui ſteriles claudere fontis aquas.
Communes eadem repetent modo carmina laudes,
Idem mutato nomine cantus erit?
Vos ego contemplor pariles felicibus auſis,
Inque omni meſſes naſcitur æqua loco.
Unde tibi tranſmiſſa putes, quicumque revolvis
Tranſmiſſa ad fratres carmina noſtra tuos.
Res ibi laudari quibus es laudabilis ipſe,
Ut vultum in ſpeculo, ſic tua geſta vides.
Sive juvat ſocios, ſeu charos dicere fratres,
Invenit ſimiles, plus quoque fecit amor.
Inque ſuis veſtros miror cum laude triumphos,
Gloria victori par modo veſtra fuit.
Fronde pari vobis præcinxit tempora laurus,
In clypeis eadem ſigna notata micant.

Interdum moneo, nec ſunt mea carmina tanti,
Ut credam eximios poſſe monere viros.
*Qui monet ut facias, quod jam facis, ipſe monendo*
*Laudat, & hortatu comprobat acta ſuo.*
Aſt aliqua ſi parte juvo, communis in omnes
Defluat utilitas, ut quoque vatis amor.
Hæc tu ſenſa meo, mea littera, nomine dices,
Nec Domino quo te mittit, adire licet.
Eſt aliquid claros meritis vidiſſe ſodales,
Noſcere disjunctos nomine quemque ſuo.
Tunc ego penderem cupidus narrantis ab ore;
Nunc hos, nunc illos quærere cura foret.
Colloquia in multam ſinerent producere noctem,
Fruſtra aſſervaret menſa parata dapes.
Quid tamen in vacuas vota irrita mittimus auras?
Titillant animum gaudia ficta meum.
Sic vana abreptam demulcent ſomnia mentem,
Illuſo creſcit ſed magis inde dolor.
Effigiem tu ferto mei, mea littera, cordis;
Quodque incompta ferunt carmina, corde legent.
Igne flagrare vident? vos hunc incenditis ignem,
Pergite felices uſque animare rogos.
Sic ubi ſubmiſſo mea nuntia diceris ore,
Cede locum, & ſocias conſcia prome tuas.
Oſtende & titulos revolutis ordine chartis,
Et loca quæ forſan poſſe placere putas.
Lectorem obſerva, ſi quæ laudanda fatetur,
Excuſans verſo quod tamen ungue notat:
Sæpe quidem & juſtis forſan culpabere cauſis,
Sed non ingenium, carmina dictat amor.
Carmina lætitiam ſcribentis & otia quærunt,
Sævius at reliquis me fera jactat hiems.
Dumque hæret, dices: lacrymæ fecere lituras,
Nec bene ſunt tremula carmina ſcripta manu.
Bis tria luſtra dedit ſtudiis gravioribus auctor,
Et deſueta novum muſa peregit opus.

Non

Non ſterile ingenium vates excuſat in ampla
Materie; aſt inopem copia longa facit.
Plura quidem ſubeunt cum mens gratiſſima tractat;
Tum ſponte effuſis defluit imber aquis.
Mille obtrudit amor, nullo tamen ordine, ſenſus,
Ad limam impatiens quos revocare vetat.
Pluraque facundus, quæ ſuggerit, impedit idem
Scribere; quin longas increpat uſque moras.
Ergo age veloces ſuperindue, littera, pennas;
Sic jubet alatus, non modo cæcus amor.
Currere ſi mavis, haud ſoccum, haud poſce cothurnum;
Non eſt conveniens luctibus ille decor.
Muſa licet claudam te miſerit impare greſſu,
Clauda potes juſſas ire redire vias.
Impigra quære meos, mea viſcera, quære ſodales,
Quemque minus cures quærere, nullus erit.
Nomina cuncta redux, & res & geſta meorum
Fida mihi referes; voſque valete precor.
Vos ego, vos omnes iterumque iterumque ſaluto;
Gaudia ſolamen deliciaſque meas.

---

# EPISTOLA X.

Ad quoſdam Socios pie credulos

*Qui cæleſtibus indiciis vel parum exploratis; vel male intellectis tempus exilii metiri arbitrantur.*

KAL. APRILIS MDCCLXX.

Siqua videbuntur felicibus omina ſignis,
Sunt ea prudenti ſuſcipienda fide.
Nam mea Carmelo tranſmiſſa oracula mulcent
Pectora; & Eſcobar quos dedit ore ſonos.

Sic ille officio ſutor, cognòmine ſanctus,
Sic alii, longus quos numerare labor.
Quid referam illuſtres monumenta domeſtica teſtes?
Extant veridica ſcripta notata manu.
Nec ſatis hæc: ſuperis vox ſæpe loquentibus aures
Demulcet, variis viſa favere modis.
Æqua piis precibus cæli reſponſa feruntur,
Certaque præſidii dant quoque ſigna ſui.
Antiquis addunt ea facta recentia pondus,
Spes vetus indiciis creſcit adaucta novis.
Sed tamen oh Juvenes, quos non ſatis inſtruit ætas,
Queiſque ſenum pietas credula forte nocet:
Quæcumque eveniant, dubiam ſuſpendite mentem,
Promptaque ſupremo ſiſtite corda Deo.
Forte aliquis longos ſibi triſtia fingit in annos,
Exanimatque ſuo pectora noſtra metu.
Judice ſic alio jam proxima meta laborum
Imminet, & patrios jam prope cernit agros.
Quidquid id eſt, ſervate animos inutrumque paratos,
Sive carere malis, ſeu nova damna pati.
Parcite ſed certas illi præſcribere leges,
Qui tacita ſortis temperat arte vices.
Adveniet juſtum, ſed non arceſſite, tempus,
Quo multo ſpiret parta labore quies.
Si tamen hanc vobis, vel ſera nepotibus ætas
Afferet, hæc ſoli res patet una Deo.
Forte dies numerat certis pia fœmina ſignis,
Quæ putat a ſuperis ſe didiciſſe prius.
Mentis in exceſſu, quæ ſæpe in pectore verſat,
Credidit indicio vaticinata poli.
Anxia ſollicitum pietas teſtatur amorem;
Quod cupit, in promptu nam ſibi fingit amor.
Plura quidem portenta dedit ſpectabile cælum:
Sic certum eſt nobis invigilare Deum.
Res hominum ſtabili pia numina lege gubernant;
Jamque favor variis, jam patet ira modis.

Quæ tamen irarum, quæ tempora certa favoris
    Immineant, nobis delituiſſe juvat.
Sic meritum incertæ conſtans patientia fortis
    Obtinet arbitrio ſponte relicta Dei.
Scilicet ut fulvum purgatur in ignibus aurum,
    Sic ſimili Numen, quos amat, arte probat.
Vivite felices; ſeu tempora dira procellis,
    Seu fluat occiduis aura benigna plagis.
Numina qua ducunt, date vela, impellite remos,
    Erigite ignavi neſcia corda metus.
Invigilat veſtræ ſuperum clementia navi,
    Ridete inſanas, queis agitatur, aquas.
Ite animæ fortes: ſatis eſt generoſa voluntas,
    Turbata ut felix per vada navis eat.
At vobis quandoque animus langueſcere ſenſim
    Incipit, & mentem tædia forte gravant.
*Scimus, & hanc veniam petimuſque, damuſque viciſſim,*
    Nec ſemper conſtat qui ſolet eſſe vigor.
Tum ſibi blanditur, cauſas mens anxia quærit,
    Ut finem ærumnis credat adeſſe ſuis.
Neſcio quas vacuo ſibi conſtruit æthere moles,
    Quas liquidas ſicco jam pede ſulcat aquas.
Gaudia propoſitis fingit, ſed inania, factis:
    Quæ vera optaret, vera fuiſſe probat.
Qui miſere abreptus luctatur gurgite vaſto
    Naufragus, & mortem ſæpius ore bibit,
Neſcius ipſe ſui jam pervia quæque tenaci,
    Sive juvent, prendit, ſeu nocitura manu.
Haud aliter quæcumque polus det ſigna faventis,
    Et quæ quiſque alius ſigna dediſſe putet.
Vos animo abripitis, placituraque ſenſa notatis;
    Heu nimium veſtris gens lacerata malis!
Si juvat afflictis ſolatia quærere rebus,
    Cænoſo pudeat fonte levare ſitim.
Quid mage delectat media inter prælia turmas,
    Quam præclara Ducis cernere facta ſui?

A Duce ſi noſcant cerni, & peramanter haberi,
Ut merita expendens præmia certa paret;
Non animoſa cohors pacem, aut nova prælia mavult:
Cura ſub arbitrio linquitur illa Ducis.
Talia ſint veſtris quærenda levamina pœnis,
Sic nunquam inficiet pectora veſtra dolor.
Creſcant ærumnæ, creſcent quoque gaudia, & ipſa
Dulcior evadet poſt mala longa quies.
Non quæſita aderit, ſed Numine miſſa ſupremo,
Et merito dabitur pœna quieſque pari.
Ergo agite, & curſu nullam proponite metam:
Quo pede quis cœpit, ſic bene ſemper eat.
Qui ſolis curſum obſervat lunæque labores,
Qui vaga convexi ſuſpicit aſtra poli;
Eſto dies horas menſes deſcribat & annos,
Plura addat vulgo non bene nota rudi.
Quin etiam eventus varios, jam proſpera, jamque
Adverſa inſtabili proferat augurio.
Lunæ extra ſoliſque vias, ſublimius aſtris
Ad ſummum, oh juvenes, vos licet ire thronum.
Hic animum penitus totamque immergite mentem,
Tempora non quærit Numine fixus amor.
Jamque dies annos menſes numerare pudebit;
Vos una afficiet cura placere Deo.

# EPISTOLA XI.

Ad socios Provinciæ Aragoniæ.

*Vates Eridano gratulatur, quod illos prope exceperit.*

KAL. MAJI MDCCLXX.

## ODE.

NON te superbis currere fluctibus
Credam, quod alto vidimus æthere
Frænarc desuetum jugales
Præcipiti Phaetonta casu.
Late albicantes margine populi
Servant sororum nomina flentium,
Torvoque prospectu rapaces
( Dum supero micat axe Titan )
Horrescit undas, pectore saucius
Adhuc paterno; tergaque vindice
Flagellat ictu, & contumaces
Urget equos crepitante flagro.
Honore posthac invida præstito
Te cuncta dicent flumina maximum;
Et sponte regalem coronam
Officio meliore cedent.
Esto profundè flumen Amazonum
Excurrat audax Oceani æmulus,
Et quotquot insignes Iberi
Orbe novo secuere lembis;
Septena Nilus computet ostia,
Pactolus æstu defluat aureo,
Et gemmifer Ganges, & alta
Tigris eat violenter unda,

Te major ornat gloria, nec decus
Commune jactas. Quid vaga flumina
Superbientes ſæpe fluctus
Et nimium celebres Poetis
Riſere dotes? Divite riſerat
Iberus urna, dum memorabile
Præbere nomen jactitabat
Imperio, eximiæque genti.
Sed hæc paternis finibus exulat,
Tuaſque ripas excolit hoſpita
Umbram daturas ( qua propinquant )
Perge celer recreare frondes.
Defeſſa ſtrati membra ſub arbuto
Dudum negatam difficili via
Captant quietem; dum jocoſis
Per ſalices levis aura pennis
Circum ſuſurro ludit amabili,
Et læta gaudet rura favonius
Qua ſpargit emiſſos odores
Innocuo exhilarare furto.
Mirare vultus, claraque maximos
Inter labores pectora fortium,
Ex oris aſpectu datura
Magnum animæ indicium eminentis.
Præcincta cernes tempora laureis,
Tumultuoſo neſcia turbine
Vinci malorum caſtra, & albo
Promeritas adamante turmas
Dudum notari: famaque poſteris
Tranſmiſſa laudum ſemper erit memor,
Cæloque dilectam phalangem
Ingenio & pietate claram
Vidiſſe quondam ſera nepotibus
Narrabit ætas, quod tibi proximam
Selegit urbem, quod quietas
Hic ſtatuit peregrina ſedes.

Dum Phœbus orbem lumine cinxerit,
Dum clara virtus laudibus obviam
Præbebit anſam; te futurum
Laude nova celebrabit ævum.
Tu mitte fluctus ſalſa per æquora
Utrumque lambens Italiæ latus;
Vadumque nautis æſtuoſum
Et Rhodani properantis undas
Relinque dextra, tum Balearia
Et Barcinoni proxima littora
Solare fluctu ludibundo,
Nec redeas, niſi forte pontus
Per larga terræ viſcera devium
Te cogat urnam jam prius agnitam
Aſcendere, ut gyro remenſo
Has iterum potiaris oras.

---

## EPISTOLA XII.

### Ad ſocios Provinciæ Aragoniæ

*Hortatur, ut reduces prope Iberum laudes canant Eridani.*

ERidanum laudare juvat; vos docta parate
Carmina, queis refluas ſiſtet Iberus aquas.
Ibitis, & regi fluviorum addentur honores,
Aureaque in veſtra fiet arena cheli.
Bicolor æthereas ubi populus occupat auras,
Et tremit illapſo mobilis amne ſalix.
Carpit iter liquidum dictus regnator aquarum
( Sic vos jam reduces plectra ſonare reor. )
Cærulea cum veſte ſenem ſub rupe jacentem
Fingite, ſeu mittit, ſive vehatur aquis.

Cingite fronde caput, sit vas quoque brachia subtus,
Quod versum e labro fontis ad instar erit.
Cæsaries intonsa madet multo obsita limo,
Barba impexa cadit, fœdat & imbre sinus.
Acquirit cursu vires, & crescit eundo,
Et tumidum pluviæ nixque soluta facit.
Ille prius Ligurum salsas procul aspicit undas,
Tum petit Adriacas immoriturus aquas.
Mensus & Italiam qua latior Alpibus hæret,
Planitiem immensam post juga celsa petit.
Qua properat despectat agros, campisque minatur,
Ripa sed inscriptam cogit inire viam.
Quo tamen abripior! magnis ea cura Poetis
Imminet, & lætis plaudet Iberus aquis.
Addere si lubeat Grajum mendacia, fluctus
Fingite longe auctos Heliadum lacrymis.
Fingite demersum liquido Phaetonta sepulchro,
Fingite quæ menti suggeret alma quies.
Proxima conspicuæ memorate palatia ripæ.
Fertilis optatas addite ruris opes,
Deliciasque loci, cum forte autumnus & æstas
Tædia deserta linquere in urbe monet.
Lignea sæpe domus rapidis supernatet undis,
Quam fixo adstringat dura catena situ.
Sit rota, quæ celerem semper volvatur in orbem;
Trita intus fiat panibus apta ceres.
Quæque abeunt, redeuntque graves, describite cimbas,
Seu celeres remus, seu levis aura ferat.
Sive etiam, rapidæ ne retrahat impetus undæ,
Commendet funis mobile pondus equo.
Nam sæpe aspicitis tot ligna, ut montibus altis
Translata in liquidas sylva putetur aquas.
Nec vos prætereant quæ sunt piscantibus artes,
Copia quæ major piscibus esse solet.
Prima inter lautas acipenser fercula mensas,
Truta inter sapidas annumeranda dapes.

Dicite quos hamus pifces, quos retia fallunt,
Quos avidus dives, quos fibi pauper emit.
Et memorare juvet pleno cum gurgite flumen
Intumet, & ripis damna minantur aquæ.
Quanta fit attentis hominum folertia curis,
Dira arcem credas obfidione premi.
Arma ferunt celeres, noctuque diuque per altas
Invigilat ripas irrequieta cohors.
Sic nemo accedit ftulto temerarius aufu,
Nec temere impingunt, fi ferat unda, trabes.
Cum madeat tellus violentius impete quaffa
Continuo, ftrages parvula rima feret.
Cætera vos reduces patria fub vite canetis,
Carmina non audent addere noftra metus.
Nam multo inferior fummis Ferraria lymphis,
Aggere multiplici, quas timet, arcet aquas.
Dum tamen hæc docto celebrabitis omnia cantu,
Dicite: in augurio præfcius ille fuit.
Tempore difficili vos fum veneratus amicos;
Efte, precor, memores tempus in omne mei.

---

# EPISTOLA XIII.

Ad dulciffimum Amicum

*D. Auguftinum Mugnos,*

IDIBUS APRILIS MDCCLXXII.

COnftantes Guatimala viros, rectique tenaces
Procreat: hæc patriæ laus venit æqua tuis.
Jefuadum plures dederant fua nomina caftris,
Nunquam delendis nomina fcripta notis.
Nam turbo exoriens plures abiiffe coegit;
Nullus at ex vobis transfuga fponte fuit.

Per

Perque quater centum tyronum ad limina leucas
( Tam procul a regno Mexica terra tuo eſt. )
Hos pietas & honor duxit, ſervareque primo
Ingreſſu ſtatuunt tempus in omne fidem.
Non durum exilium, aut ſeries diuturna laborum
Debilitare animos, nec potuere minæ.
Non tibi decreſcit laus, Auguſtine, quod omnes
Sit ſimul in cives diſtribuenda tuos.

---

## EPISTOLA XIV.

Stanislaus Koſtka Societatis Jeſu Tyro

*Tyronibus ſuis dulciſſimis ex Provinciis Americæ Salutem.*

KAL. AUGUSTI MDCCLXX.

QUam legitis, demiſſa polo ceu pignus amoris
Avolat in veſtras littera miſſa manus.
Vos ego flos ſuperum Tyronum gloria, virtus
Queis matura ſuum contigit ante diem;
Vos docui teneris quid gratia poſſit in annis,
Almaque Jeſuadum quam ſit amanda Parens.
Vos ego Tyrones Tyro quoque Koſtka ſaluto,
Quamque prius tenui, gratulor ire viam.
Aligerum pennis animi conſtantia veſtri,
Qua ſe cumque orbis promit uterque, volat.
Littera noſtra uni gratiſſima ſarcina fertur,
Ordine qui reliquis nobiliore præeſt.
Sæpe adſunt, merita ampla notant, vireſque miniſtrant,
Mutua ſenſa animi ferre referre ſolent.
Atque illi, quibus eſt cuſtodia tradita veſtrum,
Ad ſocios mittunt nuntia læta ſuos.

No-

Nomina veſtra volant toto notiſſima cælo:
    Laus veſtra in laudem vertitur ampla meam.
Fingite me ſuperos hilari circumdare vultu,
    Claraque mirificis geſta notare modis.
Ille refert veſtra ut virtus ſe fortior ipſa
    Reppulit aſſultus, quos tulit orbe novo;
Hic, pietas ut veſtra ratem luſtraverit ipſam,
    Et Tyrocinii fecerit eſſe domum.
Sed magis illa oculis ſuperum victoria riſit,
    Quæ veſtro tantum marte relata fuit.
Nam procul amotis ducibus morumque magiſtris
    Tyronum in pugna Dux ſibi quiſque fuit.
Hic intentatum quid Iberia veſtra reliquit,
    Ut raperet matri pignora chara ſuæ?
Præmia promiſit fallax, pœnaſque minata eſt;
    Nil promiſſa tamen, nil valuere minæ.
Spe major, majorque metu conſtantia vicit,
    Tentata innumeris nec ſuperata modis.
Vos quoque materno pepulit violentia nido,
    Et tulit implumes non ſua mater aves.
Ipſa noverca tamen, victam ſe faſſa, remiſit
    Matris in optatum pignora læta ſinum.
Gratulor hanc illi ſobolem, mihi pœne gemellam,
    Aſſequitur factis quæ mea facta ſuis.
Diva Parens placido me juſſit amabilis ore
    Jeſuadum matrem matris habere loco.
Hæc mihi ſollicito quæſita ambage viarum;
    Hæc fuerat votis unica meta meis.
Exul eram, ſacra venientem excepit in urbe
    Borgia, & optatis annuit ipſe meis.
Exilio par cauſa fuit, ſed gloria vobis
    Major, ut exilii vos mage preſſit onus.
Non ultra Oceanum peregrinas quærere terras,
    Non pelagi inſultus ferre neceſſe fuit.
Vos patrios fines & dulcia linquitis arva,
    Ver ubi perpetua fertilitate viret;

Fœ-

Fœta ubi conjungit flores cum fructibus arbor;
Et flaveſcentes bis videt annus agros.
Quos nunquam in veteri guſtabitis orbe ſapores,
Sponte ſua tellus dives ubique parat.
Ligna quoque, & frutices, & odoræ in vallibus herbæ,
Utilia in veſtris, his pretioſa plagis.
Nobile cum gemmis argenti pondus & auri;
Terra affert utero fertilis uſque ſuo.
Omnia liquiſtis, quin linquere plura juvaret,
Et ſemel obſtrictam ſuſtinuiſſe fidem.
Non ego maternos timui contemnere fletus,
Et quas addiderant ſcripta paterna minas.
Non tamen incuſſit metuenda potentia regum;
Militis arma feri, vel ducis ira metum.
Mens erat objectos ultro ſuperare labores:
Quæ facerem, ſociis facta fuere meis.
Hæc ( fateor ) mater vobis electa meretur,
At meritum in veſtro majus amore fuit.
Principibus dilecta viris, dilecta ſupremis
Ordinibus toto ſparſerat orbe jubar.
Creſcebat pietate ſimul, creſcebat honore,
Et ſua primævus pinxerat ora nitor.
At modo vulneribus fœdata, oppreſſa ruinis,
Nobilis eſt tantum cladibus ipſa ſuis.
Veſtra ſed in matrem pietas firmiſſima conſtat,
Quamlibet incertis exulet acta locis.
Nec tamen hoc verbis ſuperum Regina diſertis
Viſa palam vobis juſſit, opemque tulit.
Me fruſtra inſequitur frater mihi cominus inſtans,
Nam prohibet vultus noſcere Diva meos.
Tortile dum flagrum vacuas diverberat aures,
Diva renitentes ſiſtere juſſit equos.
Quoque beat vultu ſuperos, cælumque ſerenat,
Seſe oculis ſiſtit conſpicienda meis.
Eque ſinu puerum ( quid enim felicius unquam? )
Tradit in amplexus officioſa meos.

Ille

Ille mihi lætus teneris ſubridet ocellis,
    Dignatus dulces addere blanditias.
At vobis Deus ipſe ſui manifeſta favoris,
    Ut meritum augeret, pignora nulla dedit:
Et quamvis mulcet tacita dulcedine pectus,
    Mira adjutrices occulit arte manus.
Ille vigor tamen; atque animi inſatiabilis ardor;
    Maxima qui paſſos plura ſitire dabat.
Illa quies; veſtroque in corde infuſa voluptas,
    Turbine dum ſævo dura minatur hiems.
Et dum bella fremunt, generoſo in pectore virtus,
    Numinis auxilium ſigna ferentis erant.
Sæpe quidem veſtro Numen fuit ore locutum,
    Et fuit incertæ duxque comeſque viæ.
Ipſe ego dum populos peregrinaque regna viderem,
    Quæſieram ſolidos in pietate Duces.
Sed tamen interdum miſeras intravimus urbes,
    Queis placuit veram deſeruiſſe fidem.
Luximus; at præſens auxit ſolamina cælum,
    Nec, qui prava tamen me monuiſſet, erat.
At vos impietas conata eſt fallere, ſacro
    Ore locuta, ſolet quo Deus ipſe loqui.
Vertere terga Deo, ſpretumque reviſere mundum;
    Ipſi, qui mundum deſeruere, jubent.
Debuerant ultro currentibus addere calcar,
    Et prohibent refugos in ſua damna pedes.
Vix fuerat juvenum tot opertas noſcere fraudes;
    Non bene noſcit ovis, quem tegit agna lupum.
Tot laqueos inter tuto veſtigia greſſu
    Figere, præcipiti rectius ire via
Signa magiſterii fuerant manifeſta ſuperni,
    Et mira ignotæ ſemita lucis erat.
Invenit facilem vultum, dextramque benignam
    Numen, ut abjectis larga tuliſſet opem.
Sive vir ignotus, ſeu vos pia fœmina quærat,
    Numinis hoc fuerat cuncta moventis opus.

Nil vobis ( vidiſtis enim, & memorare poteſtis )
Defuit, & cæli tunc mage fulſit amor.
Sed nova tum ſuperis ſpectacula grata fuiſtis,
Paupere cum placuit delituiſſe domo.
Quæque ſub auſtero foret optima norma magiſtro,
Sponte ſua injunctum quiſque ſubibat onus.
Tunc ego, vos pelagus, dixi, poſcent ſocia agmina:
Eja agite in Latias flectite vela plagas.
Nec genitum mater retrahat properare volentem,
Felices nautas altera mater habet.
Ut puppem impellat placidæ commiſimus auræ,
Non obices Gallus, non Iber ipſe ferat.
Sed fidei ſedem ſit prima inviſere cura,
Atque ædem, cineres qua tegit urna meos.
Corda minus puro nunquam fœdabat amore,
Ardebatque ſacro, me prope quiſquis erat.
Nunc eadem exuviis in vos viget inſita virtus,
Queis mage ſunt donis corda parata meis.
Sed jam nota cohors, alio quos orbe reliquit,
Expectat ſocios; nec mora, adeſſe videt.
Dumque alius laſſis parat oſcula figere plantis,
Obvia in amplexus brachia tendit amor.
Impedit huic fletus, quæ plurima mente revolvit
Prodere, at eloquio doctior ille ſuo eſt.
Ite animæ fortes, applaudit euntibus æther,
Fauſta quidem ſuperi, quæ memorentur, habent.
Vos Lojola vocat natos, & nomina lætus
Servat in auratis conſpicienda notis.
Perque triumphales eadem vexilla gerentes,
Prole nova exultans itque reditque manus.
Xavier a regnis nunquam male pulſus eois,
Laudat in occiduis agmina fida plagis.
Quin etiam celebrat, quos jam videt ipſe triumphos,
Et ſibi vicina præmia ſede parat.
Non mihi conceſſum, qua vos pia Numina ducant,
Pandere, & inceptum quo bene tendat iter.

Hæc

Hæc mihi materies oritur dulciſſima fandi,
Cum memorat Koſtkam Borgia ſæpe ſuum.
Borgia me tenero quondam dilexit amore,
Nunc etiam in ſimiles viſcera patris habet.
Regis ut optaret veſtris regionibus exul
Barbara ſupremo ducere corda Deo;
Sed quamquam patrio ſudavit meſſor in agro
Par ſibi præfixæ meſſis, & ampla fuit,
Meſſis & ut veſtris reſpondeat altera votis,
Sæpius ante thronum ſupplice voce rogat.
Interea Gonzaga ſuos appellat, & ætas
Neſcio quid magnum juris habere ſolet.
Lis eſt pulchra tamen; nec enim pervenit ad annos
Forte meos aliquis, quem vocat ille ſuum.
Nam teneram Lodoix, teneram quoque Koſtka juventam
Diligit, affectu lætus uterque pari.
Unde ſuos juvenes per me Gonzaga ſalutat,
Ceu ſua ſit vobis littera miſſa, cupit.
Quin etiam emeritæ quot ſunt ſuper aſtra cohortes,
Queis eadem pietas, par quoque veſtis erat,
Nomine communi mittatur epiſtola poſcunt,
Et vobis lauros poſt fera bella parant.
Sedibus e ſuperis dum ſingula geſta notamus,
Veſtrum eſt materiem ſuppeditare novam.
Nec ſatis in ſtadio felicem intendere curſum,
Qui potuit metam prendere, victor erit.

# EPISTOLA XV.

Clariſſimo viro fratri dulciſſimo Didaco Joſepho Fuenſalida Prov. Chilenſis

*Auctoris carmina ad ſocios tranſmiſſa laudanti.*

KAL. AUGUSTI MCCLXXII.

Diligit oppreſſus curarum mole viator
    Ad riguas queruli ſiſtere fontis aquas.
Hic tacitus cauſas confuſa in mente doloris
    Ruminat; hic lacrymis ſæpius ora rigat.
Sed ſi forſan avis viridantibus hoſpita ramis
    Advolet argutos edere docta ſonos,
Ille animos ſenſim revocat dulcedine captus,
    Et dolet infractam depoſuiſſe lyram.
Nam melos aereum, vociſque plicatilis audax
    Impetus ex animo triſtia ſenſa fugant.
Haud aliter noſtrum tua mulſit epiſtola pectus,
    Et videor ſtudiis redditus eſſe meis.
Hactenus errantes ſolitus laudare ſodales
    (Dignaque multiplicis plurima laudis erant.)
Cum modo tot plagas, inflictaque vulnera matri
    Aſpicerem, ſenſus procubuere mei.
Sæpius ad ripas labentis in arva Metauri,
    Qua perit in ſalſis tortile flumen aquis,
Delitui nigro intonſæ ſub tegmine quercus,
    Mollis ubi pronum præparat herba ſolum.
Intentus numerare comas, vel in arbore glandes,
    Tot mala, dicebam, chara parens patitur.
Et velut in fluvio levis unda impellitur unda,
    Sic mala ſuccedunt multiplicata malis.
Gramina ſi campo, aut flores meditabar odoros,
    Hæc nova ſolliciti cauſa timoris erant.

Vel

Vel sunt esca gregis, vel eas succidet aratrum;
Vitaque marcescet sole, vel imbre brevis.
Sic timeo extremam sociis instare ruinam,
Quæritur innumeris nostra ruina modis.
Proxima languenti lustro quoque littora passu,
Et nova conspectus turbat imago meos.
Aggere multiplici tenues contemplor arenas;
Et totidem ærumnis jam reor inde premi.
Quandoque horribiles agitantur in æquore fluctus,
Parque animo sævit mæsta procella meo.
Nescio quid timeam, timeo tamen omnia demens:
Fluctuat ancipiti spes quoque mista metu.
Parce Parens si plus justo timuisse videbor,
Nam prævisa prius tela minus feriunt.
Parcite vos fratres ( quo nomine glorior idem )
Vestra fides equidem gloria Matris erit.
Per mare, per terras, per inhospita regna vagantem
Non puduit fido semper amore sequi.
Hactenus invicti fidum servastis amorem,
Quæque gerenda manent, tot bene gesta probant.
At si forte aliquis charæ dare terga Parenti
Ausus, in ærumnis deseruitque suis,
Non equidem non noster erat, nec nomina cælo
Servat inauratis conspicienda notis.
Proximus heu letho quot erunt solatia cordi
Dulcia, si Jesu nomine dignus ero!
Nil timeo: quamvis sacro spoliemur amictu,
Noscet adhuc Mater vel sine veste suos.
Jactet sæva minas torvo violentia vultu;
Tollere opes, artus dilacerare potest;
Non tamen illa animo potis est imponere legem,
Qui meruit Princeps arbiter esse sui.
Quo feror! ad charos revocem mea dicta Chilenses,
Quos novisse prius sors mihi magna foret.
Namque per Æmiliæ quum forte erravimus urbes
Noscere solliciti nomine quemque suo,

Non poſſum, quin miſtus eat dulcedine fletus,
Delicias animi commemorare mei.
Perveni quo veſtra cohors ſibi caſtra locavit,
Et dolui inceſſu tam celer eſſe meo.
Oh utinam traxiſſe moras per longa liceret
Tempora! quam brevis eſt tunc mihi viſa dies!
Eſt aliquid claram meritis agnoſcere gentem,
Sed quam dulce illam poſſe vocare ſuam!
Nempe ſenes, quos canities veneranda decorat,
Doctrina inſignes, officiiſque graves;
Et juvenes pariter, quos fervida concitat ætas,
Agnovi dignos nomine Jeſuadum.
Aſpectu facilis, viſuque affabilis ipſo
Quiſque animi certat prodere ſigna ſui,
Vidi ego lætitiam circum per tecta vagantem,
Et dulces riſus, ingenuoſque jocos.
Integritas prima ante alias, & candida virtus
Ante fores cuſtos utraque clavis erat.
Ingredior: mihi dilectos concordia fratres
Convocat, & greſſus accelerare monet.
Cætera quid referam? Cælo delapſa videntur
Numina, & hic ſtabilem conſtituiſſe domum.
Unica delituit tecto patientia vultu,
Sed Solem incaſſum nubila denſa tegunt.
Sic quamvis per veſtra celer ſim caſtra vagatus,
Hæret adhuc animo gratia tanta meo.
Hæret, & hærebit, dum ſpiritus hos reget artus,
Genſque meo ſemper corde Chilenſis erit.
Cum modo tot nobis minitetur fama ruinas,
Obſtupui vitæ neſcius ipſe meæ.
Plurima deſuetus conſcripſi carmina vates,
Et celebrare meos dulce levamen erat.
Nunc tamen ex digitis calamum cecidiſſe notavi,
Torpida mens hæſit, diriguere manus.
At revocare animos ſoli potuere Chilenſes,
Me vaga fama gravat, me tua ſcripta levant.

Nam-

Namque animo pietas, & tot bene gesta recurrunt,
Et videor charis fratribus usque frui.
Unde tibi grates, quod me mihi reddere possis,
Lætus ago; at laudes texere siste meas.
Quid memorare juvat victuris tradita chartis
Scripta, quibus sacra notus in urbe fui?
Quod mihi conspicuis plausisset honoribus olim
Felsina, quod clari me coluere viri?
Non clarum ingenio, non me pietate colebant:
Casus in humanis plurima rebus habet.
Tempus erat felix, quo me Benedictus amavit,
Et socium studiis addidit ipse suis.
Tum potui Helvetias peragrare acceptus in urbes,
Germanas potui lætus adire plagas.
Commisere etiam mihi magna negotia reges.
Principis hoc fecit gratia, fecit amor.
Hoc etiam mihi non merito, sed sorte benigna
Contigit; haud tanto dignus amore fui.
Forsitan hoc uno potui laudabilis esse,
Quod nullus nostro læsus ab ore dolet.
Est aliquid nullis ansam præbere querelis,
Nec maculis angi, queis premit aula viros.
Scis equidem quam plena dolis, quam fraudibus aula;
Ut mare, sic scopulis officit aula suis.
Fraude carent proceres, recta est in Principe virtus;
Cogitur at dubiis fidere plura viris.
Turba minor satagens alienis crescere damnis,
Quisque studet socio sorte nocere pari.
Nec meruere fidem blandi fallacia vultus
Officia, & liquidis illita verba favis.
Si quem forte suo Princeps dignetur amore
De reliquis solitum non sine laude loqui;
Qui sibi præ reliquis commissa negotia tractet
Nec mage præstantem quærat habere locum.
Hunc laudes: hanc me laudem meruisse fatebor;
Sic aula potui per duo lustra frui.

Sic ego Jesuadas sacra procul urbe remotos
Sæpe libens potui mille juvare modis.
Mexica quos tellus, & quos Paraquaria misit,
Quosque novo pariter misit ab orbe Quitum;
Brasila quos regio, & longo Maranonia tractu,
Æmula qua pelago flumina prosiliunt;
Qui segetes videre Asiæ, & celebrata Sinarum
Mænia, quos fovit culta Manilla sinu;
Quos etiam misit patriis Hispania regnis,
Excepi prompto sedulus officio.
Sæpius ad magnam deduxi Principis Aulam,
Colloquia in longum mutua tempus erant.
Quam prosint faciles aditus, & mollia fandi
Tempora, ab eventu res ratioque probat.
Sic socios nullo adstantum renuente juvabam,
Immo adjutrices sæpe dedere manus.
Vos ego, vos dulces, mea viscera chara, Chilenses
Tempore felici noscere debueram.
Vos ego ( quod doleo ) sero novisse fatebor,
Quando animi nequeo prodere signa mei.
Nil modo verba juvant, facile arripiuntur ab aura,
Juncta tamen factis nobile pondus habent.
Parcite, nam fulmen mihi venit ab arce remota,
Cum nullum incuteret Roma benigna metum.
Lysia me ( sociis cum damna extrema pararet )
Censuit arbitriis posse nocere suis.
Hinc me cauta jubet primum discedere Roma,
Hinc series nostris incipit orta malis.
Vos equidem invideo passos graviora sodales,
Mi tamen est aliquid, quod reliqui invideant.
Tot claris pietate viris præcedere, & inter
Dispersos merui primus habere locum;
Naufragium commune fuit, sed tempore in uno
Non omnes rapida projiciuntur aqua.
Quod mea plus fuerit series diuturna laborum,
Firmius hinc matrem cogor amare meam.

Vulneribus quamquam fœdata, oppreſſa ruinis,
Plus probat illa ſuos, plus quod ametur, habet.
Cum præſtans, cum dives erat, dileximus illam;
Nunc laceram atque inopem deſeruiſſe pudet.
Atque ea ſenſa tenent chari generoſa Chilenſes,
Hac ego non diſpar mente Chilenſis ero.
Unde meos nullus poterat mulcere dolores,
Vos niſi pars animæ pluris habenda meæ.
Gens ea ut abrumpam diuturna ſilentia fecit,
Quam ſervo in cordis nobiliore ſinu.
Adde quod irrigui dum me Sulmonis alumnus
Mulcebat, ( verſu ſic mihi viſus eras. )
Altera, cui ſimilem miſiſſet Horatius olim,
Venit ab ignota littera miſſa manu.
Sed Lyra, nec, quamvis lateat me dextera, fallor,
Tam gratis modulis pulſa, Chilenſis erat.
Ille mihi dotes, quibus eſt laudabilis auctor,
Applicat & felix me ſuper aſtra vehit.
Tu modo cum primo me ſis dignatus honore,
Perge, precor, partes ſponte ſubire meas
Utere conſilio, vatemque inquire latentem,
Ut potes, & grates nomine ſolve meo.
Ut fruſtra occulitur denſa inter nubila Phœbus,
Sic facile ingenio proditur ille ſuo.
Nec pigeat pro me reliquos inviſere fratres,
Dimidiumque animæ, deliciaſque meas.
Nomine fauſta meo, precor, omnibus omnia dicas;
Pignora amicitiæ divide cuique meæ.

## POST SCRIPTUM.

Carmina, quæ ſcripſit magnorum gloria vatum
Atque mihi veteri junctus amicitia,
Mitto libens: ſi compta minus ſub veſte Quiritum,
Cognita trans alpes pluribus eſſe queunt.

## SONETTO.

*Cadrà se così in Ciel si trova scritto,*
*La gran Colonna, che tant' ombra ha stesa,*
*Cadrà pur troppo, ma l'altrui delitto*
*Nell' urtarla farà la sua difesa.*
*Già le sacrate chiavi, e il regal dritto*
*Sprezza la turba ad atterrarla intesa,*
*E furor detta l'esecrando editto,*
*Ch' onor le reca con l'ingiusta offesa.*
*Cadrà ma con valor, ma senza affanno,*
*E contenta di se, carca d' onore*
*Meno il suo sentirà, che l'altrui danno.*
*Infin cadrà così, che al gran fragore*
*Scuoterassi la Chiesa, e si vedranno*
*Gir sciolti i vizj, e trionfar l'errore.*

## VERSIO.

SI laxare Erebo Numen decrevit habenas,
Magna columna cadet, quæ tantam sparserat umbram;
Heu cadet, ast expers vitii, laudabilis ipso
Deteget impingens aliena piacula casu.
Romulei sacra jura fori, & regalia jura
Spernit iniqua cohors, quæ molem sternere curat;
Vulgat & edictum furor execrabile, at ingens
Gloria ab injusto bacchantum turbine crescit.
Heu cadet, at virtute potens, ignara timoris,
Læta suis meritis, & honorum accincta maniplis
Damna aliena quidem, non propria damna dolebit,
Atque ita procumbet, strepitu ut concussa sonoro
Nutabunt pia templa Deum, & formidine dempta
Impietas victrix, dirusque vagabitur error.

EPI-

# EPISTOLA XVI.

*Confidenter monet aliquot ſocios de defectibus eorum, in reſponſis ad unam ex præcedentibus Epiſtolis.*

KAL. APRILIS MDCCLXIX.

GRatulor, oh juvenes, quod ſint mea carmina tanti,
 Ut poſſint claris lecta placere viris.
Quin etiam gratos voluiſtis promere ſenſus,
 Plurima proque uno mittere ſcripta lubet.
Miratus facile ingenium, miratus amorem
 Illa oculis volvi lecta relecta meis.
Dicitis ingenuo ſi quid damnetur in illis
 ( Quod ſincera fides poſtulat, ) ore notem,
Non renuo, neque enim tantum laudanda juventus,
 Devia ſed rectam ſæpe monenda viam.
Forſan adulator, ſi laudem cuncta, videbor.
 Hinc orta ex merito laus mage grata venit.
Hoc decet officium natu majoribus: ætas
 Non edocta uſu gaudet habere Ducem.
At quinque addicti ſtudiis per luſtra ſeveris
 Romulea dudum fregimus urbe lyram.
Carmina deſueto veniunt elanguida vati,
 Ut matura minus carmina veſtra fluunt.
Quid tamen ætatem mihi fingitis eſſe ſenilem?
 Cum luſtrum undecimum vix numerare queam.
Oſcula num *placidis* ſenis eſt fixiſſe *labellis*,
 Qualia tincta oſtro labra puellus habet?
Languida quin potius, tremuloque cadentia flexu,
 Nec jam nativo viſa colore forent.
Non Divam amplecti decuit gravitate ſenili;
 Hæc ſigna obſequii læta juventa ferat.

Oſcula nec manibus libare ſenilibus unquam
*Virgo pudica* ſolet, ſed procul eſſe viro.
In ſuperos cur tanta ſeni conceſſa poteſtas,
Mittere ut aligerum regna per ampla queat.
Dum *venerande ſenex* me carmina veſtra vocarunt,
Penna nimis velox voce in utraque fuit.
Omina ſi veſtræ potui felicia genti
Promere, non Divæ poſſe jubere reor.
Sæpe Deas liquido vates incedere cælo,
Nubibus impoſitas nunquam equitare vident.
Sed pueros canna dicam luſiſſe paluſtri;
Nam veram inceſſu noſcimus eſſe Deam.
His erraſſe parum eſt: non excuſabilis error,
Forſitan & vobis non bene notus adeſt.
Veſtra mihi tribuunt immenſas carmina laudes,
Me nimis egregium dicitis eſſe virum.
Demite ſincerum quo vos amplector amorem,
Jeſuadaſque omnes, laus mihi nulla venit.
Forte meum nomen per regna volavit, & urbes,
Non meritum, at ſortis ( credite ) ludus erat.
Laudum *fama gemit ſub pondere* preſſa mearum,
Dicitis, at melius feſſa canendo foret.
Non humeros oneri ſubdit quaſi bajulus; alas
Sed quatit inflato dum replet ore tubam.
Nullus apud latios unquam *ſubmerſus amoris*
*Vortice* ( ſi memini ) dicitur eſſe ſui.
*Thure ſuperpoſito* non urite *laudis acerram*,
Senſa Venuſini non ea vatis erant.
Ingenium Hiſpanos, promptæque audacia mentis
Sæpe extra fines, lege vetante, rapit.
Gratulor: in ſterili non ſunt medicamina campo,
Ars tamen in nimium luxuriante valet.
Diſcite ab experto; ſub eodem ſidere natus
Utilis in veſtro glorior eſſe malo.
Eſt modus in rebus; vivo placet impetus æſtro;
Sed deceat claris ſemita trita viris.

Res quoque non tantum, ſed habent ſua pondera voces,
    Legibus obſtricta eſt muſa ligata ſuis.
Verba licet cultis dilecta Quiritibus olim,
    Omnia non ideo verſibus apta fluunt.
Atque ſuus ſit cuique locus, namque altera fine
    Altera principio verſus amare ſolet.
Quæ decuit magnos permiſſa licentia vates,
    Sumere vix alius, nec ſine labe poteſt.
Sumitis intrepidi: per vos urbs inclyta partem
    Abſciſſam queritur nominis eſſe ſui.
Primaque Lojolæ, & pariter ſine lege ſecunda
    Corripitur, longas ſed tamen uſus habet
Immo etiam voces, quas aurea protulit ætas,
    Longe alio afficitis, quam jubet illa, ſono.
Sic nova verba placent, ſed non conceſſa Latinis,
    Quæque unquam nullo vidimus eſſe loco.
Horret in obſcura peregrinus nocte viator,
    Sint quoque lectori lucida ſenſa ſuo.
Tædia confuſo naſcuntur ab ordine vocum,
    Vox licet ex puro quælibet amne fluat.
Quo genere optarent, quo flecti nomina caſu
    Per vos interdum demeruiſſe dolent.
Parcite ſi nimium videor traſcurrere metam,
    Et preſſus magnis crimina parva noto.
Hæc ego ſi monitor monitus prius ipſe fuiſſem
    Forſitan ingenua doctior arte forem.
Et fateor quandoque bonus dormitat Homerus,
    Nec pariter pulchris floribus arva nitent.
Quin potius miror preſſos torrente malorum
    Carmina turbato ſic ceciniſſe animo.
An canet in mediis jactatus nauta procellis,
    Aut miſer in ſylva quem lupus ore petit?
Tempus erit cum læta pium dabit otia Numen,
    Pura quies vates ingenioſa facit.
Eſt aliquid ſtudiis tranquilla mente vacare
    Sponte ſua facili carmen ab ore venit.

Sæpius ad limam ſi quid revocare paramus
    In promptu eſt doctos conſuluiſſe libros.
Cultior exactos numerabit muſa labores,
    Singula materies carmina laudis erunt,
Vos Venuſinus Olor vates Pelignus, & ipſe
    Virgilius noſcent cantibus eſſe pares.

---

# EPISTOLA XVII.

Clariſſimo Viro Joanni de Oſſuna.

*Suadet vates ut Bæticæ Provinciæ laudes deſcribat, ſeque tanto oneri imparem fatetur.*

KAL. NOVEMBRIS MDCCLXX.

HÆC tua ſollicitas fert littera miſſa querelas,
    Sed quo debuerat, non pede fecit iter.
Luna quater latuit, pleno quater orbe recrevit;
    Dum volat in noſtras ſegnior ipſa manus.
Non tamen ille error ſuus eſt; erravimus ambo;
    Illa ſequebatur, ſed fuga noſtra fuit.
Sedulus exilio poſitos in viſere fratres
    Per loca Flaminiæ proximiora viæ,
Seu qua ſtravit iter per inhoſpita viſcera montis
    Neſcia inacceſſos Roma timere obices.
Congeſtos montes vix parvus ſeparat amnis,
    Et mage difficilis redditur amne via.
Clauſit iter rupes, quam parva in fruſta ſecare
    Exigit expenſas, & novus eſſet obex.
Flaminius medio jubet amplum aperire foramen,
    Per quod tres currus inſimul ire queant.
Gens ubi caſtaneis menſam pro fructibus ornat,
    Hortorumque locum plurima quercus habet.

Sed tamen interdum visæ decrescere rupes,
Et nitidæ valles post juga celsa virent.
Seu qua vicino fervent commercia portu,
Et strepit, & lambit mobilis unda pedes.
Altera, dum vehimur curru, rota sulcat arenam,
Circum ludentes altera scindit aquas.
Delitui nimium, sed quæ solatia pectus
Mulserunt, justæ causa fuere moræ.
Hoc unum deerat, quod me recrearet eundo,
Ingenii partus carmina ferre tui.
Sæpe ego seu patulæ recubans sub tegmine fagi,
Seu nitida herboso qua salit unda tofo,
Stratus humi curas, & tædia longa levarem,
Et possem adventu gratior esse meo.
Attamen erubui, quod me, dulcissime, laudas;
Sed tibi si placeam, laus mea major erit.
Me socios celebrasse probas, communia noscis
Argumenta animi qualiacumque mei.
Quodque meis demum sileatur Bætica libris,
Jure doles; nostro carmine digna fuit.
Ipsa propinqua fuit, cum patria regna tenerem,
Exilii pariter sede propinqua manet.
Sat merita agnosco, seu dum mea Lysia stabat,
Seu postquam donis exul alenda gemit.
Nota mihi pietas, constantia nota tuorum,
Cum tandem obrueret dira procella caput.
Bætica si meruit primas numerarier inter,
In quibus effulsit Relligionis amor,
Est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas;
Hac tantum gaudes, dulcis amice, frui.
Nec satis est laudasse pares ad prælia dextras,
Præmia sunt gestis cuique ferenda suis.
Arguis; inque animo suspectum credis amorem;
Visa est suspicio pondus habere suum.
Quis sibi dilectos alienis laudibus ornet,
Nec repetat variis nomina chara modis!

Dili-

Dilige: ſponte ſua venient in carmina laudes;
Indicium cordis verba latentis erunt.
Iſta, vel illa cohors magnis celebrata triumphis
Præcipuum ante alias jactat habere decus.
Si reliquas pariter ſuper aſtra extollere dicas,
Laus certe eſt nomen conticuiſſe minor.
Adde quod ut taceas aliqua ratione moveris;
Nec cauſam, ut ſaltem pauca loquaris, habes.
Hæc ego perpendi, cum me tua littera ſomno
Admonuit dudum procubuiſſe gravi.
Debueram fateor cauſas vitare doloris,
Et non materies queſtubus eſſe tuis.
Sic non ignarum titulo reprehendis inani;
Quod ſupereſt, veniam ſupplice voce rogo.
Et veniam meruit quiſquis commiſſa fatetur,
Purpureus meruit qui ſubit ora rubor.
Oranti veniam indulget placabile Numen;
Parcere cæleſtis te quoque norma docet.
Adde quod & facto ſiquid peccavimus illo,
Vix tua quod pietas parcere poſſit, habet.
Neſcius in trivio quo tendat calle viator,
Non pœna eſt dignus, ſi male flectat iter.
Sic ſincera nequit culpabilis eſſe voluntas,
Forſitan erravit, ſed ſine labe fuit.
Non penitus mens eſt objectum avellere crimen,
Imminuam crimen ſed tamen ipſe meum.
Criminis ipſe quidem non ultima cauſa fuiſti,
Inde prius monitor forte monendus eris.
Ipſe ego te novi ( quid doctam abſcondere dextram,
Nomina quid dudum clara tacere juvat? )
Non equidem ex vultu; nam tunc ego plura docerer,
Sed fama & ſcriptis, culte poeta, tuis.
Scripta animi vera effigies, & mentis imago
Lecta relecta oculis ſæpe fuere meis.
Ingenii dotes, atque aurea ſenſa notavi,
Te novi, egregium vatibus eſſe decus.

Mittere Virgilio possit quis carmina? dixi,
Nasonem imparibus possit adire modis?
At aliæ simili florent quoque laude cohortes;
Non horum potui cernere scripta virum.
Orpheus intersit; quis fila sonantia pulset?
Zeuxis adest; cæptum dextra relinquat opus;
Jure quidem timeas, sed si non noveris illos,
Nulla verecundi signa timoris habes;
Est aliquid proprias interdum agnoscere vires,
Limite sic certo rura colonus arat.
Sic ego non omnes potui celebrare cohortes;
Majus onus nostris viribus illud erat.
Erubui non posse omnes includere versu,
Nec paria obsequii signa dedisse mei.
Tunc bene selegi, mihi quæ magis apta putabam,
Defuit & scriptis ultima lima meis.
Sed tamen audendum, quæ sensa incondita chartis
Dextra repugnabat tradere, suasit amor.
Charta quidem timuit magnos aditura Poetas,
At Domino tandem paruit illa suo,
Nec voluit Dominus, quos fama noverat ante
Non bene purgatis lædere carminibus.
Sic amor in reliquos, in te reverentia, nostrum
Expedit ille audax, ista moratur opus.
Heu mihi, cur timidum fecit vicinia vatem!
Debuit illa meam sollicitare lyram.
Et mage laudari, quæ sunt mage nota, juvaret,
Hæc foret officiis debita cura meis.
Bætica quæ primos meruit sibi laudis honores,
Prima quod a Patria sede repulsa fuit.
Bætica cui primas debet quoque Lysia curas,
Quærit enim damno commoda nostra suo.
Et placuit reliquis ea norma cohortibus; omnes
Fluminis instar erant, fons tamen illa fuit.
Sed cum non potuit donis, nos Bætica ditat
Exemplis; faciunt tot monumenta fidem.

Quam

Quam bene tyrones morum docuere magiſtri:
    Inclyta difficili tempore geſta probant.
Scinduntur veſtes, animus ſed perſtitit idem,
    Sola quibus ſummo cura placere Deo.
Scilicet una omnes objecta pericula temnunt,
    Seu prope contingat, ſeu procul eſſe ſuis.
Pars etenim Auſonias ultro venit exul in oras,
    Pars manet hoſtili dux ſibi quiſque ſolo.
Quid referam Heroas, quos ultima protulit ætas,
    Vidimus auratis nomina ſcripta modis.
Egregios cecini pietate, inſignibus auſis,
    Doctrina ingenio Religione viros.
Nempe bipartiti cum celſa cacumina montis
    Incolerem, & reliquis ductor ad illa forem.
Cum placidas vatum leges & jura docerem,
    Sæpe erat in fratres muſa diſerta meos.
Sæpe tuas, Padial, repetebam in carmine laudes,
    Nam fuerat geſtis Lyſia plena tuis.
Lyſia ſuccenſi narrabat pectoris ignes,
    Ora inflammatum, purpureumque genas
Dum fora, dum calles Divinus obambulat Infans,
    Et fugit amplexus devius inde tuos.
Jamque tenere putas, ſed amabilis ore puellus
    Labitur arridens flexilis e manibus.
Hac fovet arte tuum, atque eludere fingit amorem,
    Et procul ipſe oculis, corde propinquus adeſt.
Ecce preces recitas; volvens in codice chartas
    Implicat atque tegit dextra tenella notas.
Urget opus, peragenda vocant, properare juberis,
    Obvius oppoſito corpore claudit iter.
Felix! quo ſuperi omnipotens regnator olympi
    Miſcere innocuos gaudet ubique jocos.
Tu quoque non ævo diſpar non urbe remotus,
    Sæpe meo Tamaris carmine notus eras.
Sæpe etiam doctis cecini clariſſima faſtis
    Nomina, & ingenio jam celebrata ſuo:

Nam

Nam modo me Sanchez, modo me Granata docebat
Quam bene conveniant ingenium & pietas;
Tum mea muſa Lugum; quem purpura cinxit & oſtrum,
Romulea ſummum novit in urbe decus.
Doctorem eximium novit te, magne Suarez,
Nulla tamen meritis laus venit æqua tuis.
Patria regna prius, tum Roma, & Lyſia dotes
Admirata tuas vidit, & obſtupuit!
Vivis adhuc fama toto notiſſimus orbe,
Pars orbis tanto non ſatis una viro.
Obtinuit palmam tecum mea patria felix,
Et ſtabilem clara figit in urbe domum.
Hos ego laudavi; atque aliis quoque Bætica fulſit,
Argutis cecinit quos lyra noſtra modis.
Inde meum agnoſces blande placatus amorem,
Agnoſces crimen non minus ipſe tuum.
Si tibi tam faciles inſtillant carmina ſenſus,
Si nitidas fundit vena perennis aquas,
Cur opus hoc differs victuris tradere chartis,
Et tota dignum poſteritate legi?
Miretur ventura ætas, quot Bætica quondam
Protulit afflatos Numine terra viros.
Ut mihi cura fuit plures celebrare cohortes,
Tu reliquas doctis ſelige carminibus.
Sic opus evadet, duplex quod compleat author,
Nomen & in titulo Bætica prima ferat.
Quin pretium obſcuris ( mihi crede ) laboribus addes,
Scriptis adjungas ſi tua ſcripta meis.
Non tantum expreſſos jactat pictura colores,
Sed variata umbris ipſa tabella placet.
Si forte eſt aliquid quo carmina noſtra probentur,
Hæc tibi materies addita laudis erit.
Gemma licet niteat fulvo pretioſior auro,
Cincta auro ſpargit clarius illa jubar;
Ergo age rumpe moras, generoſos concipe fœtus,
Increpat inviſas Bætica queſta moras.

Ergo age: non propriæ laus est suspecta cohortis,
Materies laudum nam mage nota tibi est.
Segnius irritant animos demissa per aures;
Quæ celebras, oculis visa fuere tuis.
Otia quid prosunt? magna exercere vetamur;
Fallamus solidos, qua licet arte, dies.
Mille modis pressos solemur carmine fratres,
Sit saltem hac felix utilitate labor.
Nec me culpabis, cum sis culpabilis ipse,
Quin gaude exemplis evigilare meis,
Oh me felicem, si dum mea crimina purgo,
Te somni obtineam pœnituisse tui!
Respuat usque meos quamquam tua Bætica versus,
Ipsa mihi grates, quod celebretur, aget:
Est aliquid cecinisse prius, nam sæpe cicuta
Excitat argutas pastor ineptus aves.
Adde quod illa mihi laus est & gloria major,
Bætica quod monitu sit celebrata meo.

---

## EPISTOLA XVIII.

### Ad Amicum.

*De sociis suæ Provinciæ desertoribus.*

KAL. DECEMBRIS MDCCLXXII.

DUlcis amice doles: justa est tibi causa doloris,
Quem pietas animi, quem movet intus amor.
Nempe doles socios eadem vexilla gerentes
Sæpius indecori terga dedisse fuga.
Nec satis est magnos dudum superasse labores,
Nec satis est primis prævaluisse malis.
Clara triumphali cinxerunt tempora lauro,
Victrici numerant parta trophæa manu.
Vidimus heu! pulchras sensim marcescere frondes,
Et periit clypeis, qui fuit ante, color.

Carmina collectos laudarunt noſtra triumphos,
    Triſtia nunc miſeri ſigna doloris habent.
Promiſere tamen mentem ſervare fidelem,
    Obtulerant ſummo corda parata Deo.
Forte aliquis fidum monuit deſertor amicum
    Dux fuit exemplo noxius ille ſuo,
Hæccine pacta fides? Ut quid juraſtis ad aras
    Affigi ſacræ per tria vota cruci?
Anne Deo audetis fallaci illudere verbo?
    Spernere ſic Numen Numinis ante oculos?
Plus valet inſidians (neque enim reputemus amantem)
    Plus valet infido transfuga conſilio?
Forte negat præſul quæ concedenda putatis,
    Forte ſenex vultus induit ille truces?
Forte comes dicto vos pungere viſus acerbo,
    Forte placet vetitas ire redire vias?
Plura (fatebor enim) vitæ nova forma recentis
    Damna tulit; virtus nec ſatis eſt ſolita,
Heu nimium in fratres cæleſtis friguit ardor,
    Mentem implet nummorum uſus & arbitrium,
Nec valet imperii moderari præſul habenas,
    Et, ne vileſcant provida juſſa, tacet,
Quorſum ego? non vobis exempla domeſtica deſunt,
    Ut mala vos retrahunt, ſic bene geſta trahant.
Ah fruſtra in reliquos mala veſtra refunditis; eſca
    Infirmo ſtomacho nulla ſalubris erit.
Cautior incedas, ſiquis modo devius errat,
    Sic aliquid vitiis utilitatis ineſt,
Felix, quem faciunt aliena pericula cautum;
    Felix, qui, ſocio deſipiente, ſapit,
Ipſa ubi lethiferos extraxit aranea ſuccos,
    Mellifluum noſcit ſugere nectar apis.
Adde quod a nobis vitium plerumque reſultat;
    Fallere ſic mentem ſomnia vana queunt.
Falleris heu! viridi ſi perſpicis obvia vitro;
    Obvia nam viridi tincta colore putas,

Sed tamen eſt aliquid, quod plus caveamus oportet,
Ne miſere in ſyrtes naufraga navis eat.
Sæpe parum cautos fallax muliercula ſenſus
Obruit, officiis inſidioſa ſuis.
Heu miſeri! cur tanta oculis conceſſa poteſtas?
Cur primum hæc blandis vocibus auſa loqui?
Atque erit æternæ vobis ſpes ulla ſalutis,
Qui promiſſa Deo venditis hoc pretio?
Sed placet alloquium, pietas, & gratia fandi,
( Dicitis ) haud animum noxius urit amor.
Heu miſeri! ſiquis paleas admoverit igni,
Has fruſtra in triſtes nolit abire rogos.
Nec ſatis eſt puram ſceleris conducere mentem,
Tange picem, & tingi te pice velle nega.
Gutta cavat lapidem non vi, ſed ſæpe cadendo,
Sic ſenſim illecebræ debilitant animos.
Et facile impingit, qui per declivia montis
Ruptaque præcipiti vortice tentat iter.
Haud ſcelus eſt, inquis, cautam inviſiſſe puellam;
Mens tantum alloquio fallere tempus erat.
Heu ſtolidum! miſera quot ſic periere ruina!
At ſacer, exclamas, uſque miniſter ero.
Hoc magis indoleo, quod ab illa pergis ad aras;
Excipe matronam nobilitate gravem.
Illa patrocinio poterit te ſæpe juvare,
Conſilio poteris diſcere plura ſuo.
Ah timeas ſiquis fratrum conſortia vitat,
Non obſervatus ſi velit ire domos.
Se nempe a ſociis ( quos ante fidelis amabat. )
Vix uno accito, ſubtrahere incipiunt.
Nulla domi placuere, foris ſolatia quærunt,
Sed medicina ſuo non erit apta malo.
Sic viſco capiuntur aves, ſic retia fallunt,
Subdola ſic piſces attrahit eſca vado.
Se miſerum agnoſcit poſtquam diglutiit hamum
Piſcis, & a ſociis deviat ille ſuis.

Sed

Sed quacunque tamen veniant ab origine causæ,
    Tempestatem animi prævia signa notant.
Nescio quid secum confusa mente revolvit,
    Sunt oculi torvi, triste supercilium.
Quæsitus tacet, aut verba interrupta reponit,
    Et facilis querulos occupat ira sonos.
Cur cito deperiit festivo gratia vultu?
    Et lepor ingenuus cumque lepore jocus?
Lætitia, & mæror ( nisi sit male tracta voluntas )
    Crede mihi, nostro pendet ab arbitrio.
Nocte dieque vigil sudat venator in agris,
    Per juga per valles itque reditque celer.
Et qui forte labor mihi non tolerabilis esset,
    Ipse voluptatem deliciasque vocat.
Narrat ovans celeres cursu superasse molossos,
    Narrat ovans prædam nigra per antra sequi.
Quisque animo discat certas imponere leges;
    Arbiter ipse potest (si velit) esse sui.
Adde quod a superis quæ præmia certa parantur,
    Præmia sunt quovis digna labore peti.
Aspice quam tenui properamus ad ardua lucro;
    Nec cupido injiciunt ulla pericla metus.
Non timet incerto committere carbasa vento
    Navita, & arbitrio fata minantis aquæ.
Sole sub ardenti falcem quoque messor aduncam
    Versat, ut exustos depopuletur agros.
Miles in immensos se projicit ipse labores;
    In tela, in gladios permeat intrepidus.
Nos, superis lectum quod cælo militat agmen
    Infidi tanto possumus esse duci?
Causa mali tanti non me latet; otia mentem
    Enervant, ut non mota putrescit aqua.
Sic lenta ærugo consumit inutile ferrum,
    Clausa diu vestis roditur a tinea.
Riserat instantes navis bene sarta procellas,
    Firma diu in placidis sæpe fatiscit aquis.

Otia virtutum peſtis, mœroris origo,
    Expandunt faciles ad ſcelus omne fores.
Otia ſit tollas, periere cupidinis arcus,
    Et redit in pectus, qui fuit ante vigor.
Altera pars precibus, pars temporis altera libris,
    Sitque pio ſua pars dedita colloquio.
Debita pars ſuperis inter conſortia divum
    Si deerit, miſerum certa ruina manet.
Hic ſeſe ipſe Deus præbet mortalibus ægris,
    Fallaces Erebi detegit inſidias.
Hic mentem illuſtrat, vegetoſque in pectore ſenſus
    Obfirmat, ſpargit munere largus opem.
Non renuam lento binos incedere greſſu,
    Aere cum lubeat liberiore frui.
Deque die ſolido parva intervalla ſecando,
    Sæpe juvat ( fateor ) demere particulam.
Et laxare arcum, atque animi inſtaurare vigorem,
    Jactura haud dici temporis illa poteſt.
Stratus humi vires reparat ſub fronde viator,
    Ut petat inceptam fortior inde viam.
Sic decet in ludo ſine damno impendere tempus,
    Lætior ut curis mens vacet inde aliis.
Sumite materiam veſtris modo viribus aptam,
    Inque ſuo ſtudio quilibet emineat.
Proluat hic frontem ſalienti Caſtalis unda,
    Prona bipartiti quæ juga montis alit.
Nam mihi mens fuerat ſtudiis per luſtra ſeveris
    Quatuor addicto depoſuiſſe lyram.
Et tamen afflicto ſola hæc ſolatia reſtant,
    Et deſueta vetus muſa reſumpſit opus.
Tullius huic placeat; ſenſim facundior ore
    Nunc ſenſa ad limam ter revocanda notet.
Ille renitentes quærat cum Cæſare Gallos,
    Romana hunc recreet Livius hiſtoria.
Si cupias numerum, menſuram, & pondera rerum
    Noſcere, quaſque artes docta matheſis amat;

Linea cum puncto, variiſque triangula formis,
Inventa aſſidui prima laboris erunt.
Dividere in partes diſcas non ſectile punctum,
Non intellectis ſcribere ſenſa notis.
In tenui charta tandem vaſtiſſima tellus
Parebit, numeris ſubjicienda tuis.
Et liquido oceano, & lato ſpatiabere cælo,
Multa ſcies vulgi vix ea digna fide.
Quæque ſcies certa conſtabunt plurima lege,
Nec poterit dictis error ineſſe tuis.
Pluribus arridet naturæ inquirere leges,
Cauſam ex effectu noſcere quamque ſuo.
Seu qua diſcordes veniunt ab origine venti;
Cur jacit iratus tela triſulca polus;
Qua veniant motus terræ; quid ad æthera montes
Eructent flammas ſulphura ſaxa picem;
Qui fiat pluvialis aqua; ut concreta figuras
Sæpe eadem varias fingit, & inde cadit;
Hauriat a pelago fluvius quo tramite lymphas,
Cur vaga depoſito permeet unda ſale;
Attrahat an tellus puram, fonſque inde reſultet,
An ſola hic pluvia dote perennis eat;
An terra internis dum ſublevat ignibus undam,
E nebula in guttas fontibus illa fluat;
Cur pelagus fluctu intumeat, ſenſimque refluxu
Decreſcat, quid alat fertilis in gremio;
Ut lucem effundat radio ſeptemplice Titan,
Et lucis fit pars inde reflexa color;
Et juvat ignotæ ſcrutari viſcera terræ:
Sive ignes clauſos, ſive metalla petas.
Et juvat æthereos perpendere cominus orbes,
An prodeſſe homini, ſive nocere queant.
Ut noſtris ſint viſa oculis, quæ ſidera cernis,
Volve animo quot ſint ſæcula lapſa prius.
Cur aliqua ex aſtris radiorum furta reflectunt,
Cur aliqua ovali circumiere via;

Cur varii solis cursus, Lunæque labores;
Cur tristis longo crine cometa redit;
Attrahat ut corpus se se, retrahatque vicissim,
Motu ut subsistant corpora cuncta suo;
Nec procera arbor tantum, sed inutilis herba,
Utilia assiduæ pabula mentis erit.
Ordine quo succos prius ebibat, inde ministret
Vitales radix, curque latescat humi;
Quot sint caule tubi, folium quo textile nexu
Crescat in ornatum luxuriantis agri;
Quot florum species, seu flos tibi rideat uno
Seu micet indutus multiplici folio;
Pulvere deciduo fœcunda ut semina reddat,
Et ceræ artifici furta ministret api.
Per juga per valles mens sæpius ampla vagetur,
Quærat & omnigenas ingeniosa feras.
Parvula ut exemplo est magni formica laboris,
Et victum æstivo tempore cauta paret.
Occupet ipsa animum tenuissima turba volantum,
Musca latens quercu, mellis & auctor apis.
Plurimus & vermis, qui jam quasi mortuus alas
Induit, ut vermes innuba gignat avis.
Rinoceros, Elephas, quos Ganges mittit, & Indus,
Africa quos sylvis educat usta suis.
Sævus aper, Leo magnanimus, rapidissima Tigris,
Dama celer, Vulpes subdola, & Ursa ferox.
Cur Cervum celer insequitur, Leporemque Molossus;
Mus quoque cur Felem, cur fugit Agna Lupum?
Quis volucres docuit variæ modulamina vocis,
Et se se instanti frigore subtrahere;
Quisque feras docuit solamina quærere vitæ,
Et quis in hostiles suggerit arma dolos;
Quæ simul in terris, liquidoque animalia ponto
Degere amant; sola, quæ spatiantur aqua.
Noscere si nequeas, saltem indagare voluptas
Quæ rerum nobis conditor exhibuit,

Si fortaſſe juvat Romanas diſcere leges,
Te plura authorum ſcripta diſerta vocant.
Si magis arridet ſummi penetralia cæli
Quærere, divinæ noſcere mentis opes;
Arcanum Triadis, ſeu cur ante omnia Numen
Sæcula, progenies æqua coæva patri
Tempore præſcripto ſtatuit de Virgine naſci,
Nec renuit tormenta inter acerba mori.
Hæc & plura amplam mulcent ſublimia mentem,
Hæc ſtudii cupido digna placere viro.
Quæ dictante Deo ſervant documenta ſalutis.
Et ſacra ſincera tradita ſcripta fide.
Nocturna verſate manu, verſate diurna,
Sint, precor, attentis lecta relecta oculis.
Siquis ovile fugit( poſtquam luſtralibus undis
Abluti, electi pars ſumus una gregis)
Nec tantum fraude implicitus male devius errat,
Aſt alios extra paſcua ſana trahit:
Tum monitor validis diſcat rationibus uti,
Et certa inſperſos deteget arte dolos.
Altera, quæ rectos homini ſapientia mores
Quodque leve oſtendit, quod grave crimen, erit.
Altera, divinæ quæ ducit ad oſcula dextræ,
Et cor a nobis abripit, atque animum,
Deliciaſque affert ceu prælibamina cæli,
Sordeat ut toto quidquid in orbe placet.
Utraque erit noſtris ſolamina dulcia curis,
Ne longo exilio tempus inane fluat.
Crede mihi; doctis ſupereſt incumbere libris:
Hoc tantum miſeris tempora dura ſinunt.
Hoc precor, admoneas, ſic otia tollere quæras,
Utilis admonitu ſic potes eſſe tuo.
Forte aliquis rapidas paſſus jam corde procellas,
Te duce tranquillos exiget inde dies.
Otia ſi tollas, ſocios lucraberis omnes,
Et quiſque in medio turbine ſalvus erit.

EPI-

# EPISTOLA XIX.

Dulciſſimo Amico

*Ignatio Maldonato Soc. Jeſu Mexicano ut Fanum Bononia redeat.*

IV. IDUS FEBRUARII MCCLXXIV.

DUlcis amice redi, nec te tua Felſina lentum
Detineat curas digna fovere tuas.
Innumeros, licet invitus, fuge cautus amicos,
Nam plus ( crede mihi ) vita ſaluſque valent.
Vidi ego ſtagnantes ea per confinia valles,
Nec niſi peſtiferus fœtor, & horror erat.
Heu macies vultu, totoque in corpore pallor
Aeris infecti triſtia ſigna ferunt.
Ruſticus exeſi vix uſum noſcit aratri,
Nota olim tremula vix movet arma manu.
Qua ſeges auratis quondam florebat ariſtis,
Cænoſa fluitat canna paluſtris aqua.
Et piſces hamo nunc fallere gaudet adunco,
Qua juvenis viſco ſæpe fefellit aves.
At procul a noſtris mala ſunt ea finibus, inquis,
Hic tenuis placida defluit amnis aqua.
Non hic magnates non hic mutabile vulgus
Anxia ſolliciti ſigna timoris habent.
Hic geniale forum, conſortia læta frequentat,
Et celeri populus ludere gaudet equo.
Sæpe theatrales gens hic videt extera luſus,
Miraturque ſimul commoda, & urbis opes.
Adde quod hic ſtabilem poſuit ſapientia ſedem,
Eſt aliquid doctos inter adeſſe viros.
Tot mihi vel patria, vel amore, aut ſanguine juncti,
Aſpice ubi fixam conſtituere domum.
Atque ego plus ſapiam? cunctis prudentior eſto.
Forte inquis, tanti me precor haud facias.

Dulcis amice redi, nec te pietatis imago
Detineat; dulci solve pedes laqueo.
Est pietas non esse pium; medicamine nullo
Vita redit; si abeas, sæpe redire potes.
Sed tibi, quo vitæ revocat modo cura, redire
Convenit; hoc si quis diligit, admoneat.
Ni redeas, celeres solatia vestra sequentur
Cum gemitu lacrymæ, cumque labore dolor.
Aspicis ut macies iterum depascitur artus,
Atque suo stomachus deficit officio
Cuncta quidem renuens alimenta palustribus arvis,
Forsan & orta etiam frigidiore solo.
Aspicis ut scabies, nudo cum pectore vulgus
Transilit, informem turpat acerba cutem;
Informesque manus, & sordida brachia pauper
Extendit, querulo dum petit ore cibos?
Vina calent nimium gypso cænosa paterno,
Nulla scatet puræ vena salubris aquæ.
Quot ( dolor heu! ) socios amisit Mexica tellus!
Viribus hic alii procubuere suis.
Tot, quibus in vultu risit florentior ætas,
Pallida languenti corpore membra movent.
Sive quod huc veniant miti sub sidere nati,
Sive sit a culpa causa petenda loci.
Nec te læta movent avidæ spectacula gentis;
Solus amas fratres inter adesse tuos.
Hi quoque si mediis latuissent alpibus, alpes
Urbs tibi magnifica charior urbe forent.
Si tibi nunc prosunt consortia docta virorum,
Non renuam; at supplent edita scripta vices.
Sit bona temperies, non sit quoque noxius aer:
Felices aliis auguror ire dies.
Sed bona temperies populosam haud construit urbem,
Quin dudum assuetos quælibet ora juvat.
Sub nivibus, qua parte trahit sua plaustra Bootes,
Regia Russorum semisepulta latet.

Urbs

Urbs magna Æthiopum, qua ſol violentius urit;
Immanes rabido deſpicit ore feras.
Non ego cum diris celebrem regionibus urbem
Confero; namque Italos aura benigna beat.
Sed mihi ſi noceat, ( ſit quælibet aura ſalubris )
Æthiopum aut Ruſſorum urbis habenda loco.
Et calor & frigus, quod non ſuperare videris,
Si patrium eſt, nullo corda timore ferit.
Jure quidem Ruſſo regio borealis amatur,
Jure quidem Æthiopi torrida zona placet.
Terra ſalubris erit, qua me genuere parentes,
Qua cum lacte hauſi prima elementa puer.
At te prima videt prodire in luminis auras,
Terra ferax, aer purus, amœnus ager.
Non vos triſtis hiems, non arida concutit æſtas:
Tellus perpetuo vere profundit opes.
Non ſimilem invenies Italis in finibus: illam
Selige, diſſimilis quæ minus eſſe poteſt.
Acer hiems, ubi nunc degis, crudelius angit;
Atque æſtas putridis noxia fœtet aquis.
Stagna licet veſtros non lambant proxima muros,
Eſt aliquid tanto non procul eſſe malo.
Adde quod ulterius quacunque advolvere greſſus
Cogeris, obliquas hinc petis inde vias.
Parte ſui magna premitur Ferraria lymphis,
Effera nec Venetis unda pepercit agris.
Quid juvat afflictum peſtem obſervare propinquam?
Eſt alio potius vita tuenda loco.
Oh utinam cum Mexiacis veniſtis ab oris,
Hæc veſtro exilio meta petenda foret!
Urbs tota exciperet venientes hoſpita plauſu,
Offerret ſartas obſequioſa domos.
Hic vili pretio quæſita alimenta parantur;
Nec cupit externas ſobria menſa dapes.
Fortunæ domus apta fuit, qua pomifer arbos
Curvatur, Bacchus regnat, & alma Ceres.

Quæ reliquas diviſa beant, hic juncta videbis,
Et potes Italiæ dicere delicias.
Quodque magis mirum, vel quæ de colle propinquo
Labilis in noſtrum ducitur unda forum,
Vel quæ clauſa diu puteis ſervatur opacis,
Quæque oriens ſalſas vix prope tangit aquas.
Te te ipſum appello: Tibi nulla ſalubrior omni
Æmilia, nullo viſa docente fuit.
Bis etenim caſu noſtras appulſus in oras
Viſus es antiquis convaluiſſe malis.
Me forte, ajebas, fallit gratiſſimus error?
Demulcent animum ſomnia vana meum?
Æger eram; priſcas ſenſi juveneſcere vires;
En valeo: & morbus ( non ego fallor ) abit.
Gratia ſit ſuperis: hanc me duxiſtis in urbem,
Ut redeat veſtro munere parta ſalus.
Gratia ſit vobis Fanenſem habitantibus urbem,
Cernitis obtenti cauſa fuiſſe boni.
Nam ſi me teneat ſedes male ſana Piſauri,
Nam ſi me teneat Felſina magna ſinu,
Sive diu vivam, ſeu ſim moriturus, & æger,
Hoc tantum norunt exilii ſocii.
At Fani proceres, dum me placido ore ſalutant,
In media gaudent ſiſtere ſæpe via.
An valeam, inquirunt; tum me comitantur euntem
Per fora per calles, exhilarantque animum.
Sive movere juvat lentos ad littora greſſus,
Qua fluit & refluit queſtubus unda ſuis.
Seu qua recta urbem rivus petit, unde propinquus
Oceano ſaltu præcipitante ruit.
Si placeat, querulas comitari poſſumus undas;
Arboribus ſeptus callis utrinque patet;
Cingere ſi placeat ſinuoſo mœnia gyro;
Si campos, planum qua via ſternit iter;
Seu juvat in valles greſſus revocare propinquas:
Omnia ſunt genio cuilibet apta ſuo.

Gratia ſit vobis Fanenſem habitantibus urbem;
Digna quidem eſt Dominis terra beata ſuis.
Dum mihi mens fuerit, dum ſpiritus hos reget artus,
Semper ero veſtri tempus in omne memor.
Dulcis amice redi, nam quæ tibi ſcribere poſſum,
Gratulor a verbis jam didiciſſe tuis.
Una eſt quæ lentum poſſit te cauſa morari,
Me forte ignarum diſplicuiſſe tibi.
Si tibi diſplicui, mentis fuit error; at idem
Semper in ingenuo candor adeſt animo.
Si tibi diſplicui, non tu dulciſſime debes
Delicti pœnas ipſe ſubire mei.
Parce tamen ſi ſuſpicio me fallit inanis,
Cum tu ſponte etiam non redamatus ames.
Quiſquis amat, dulcem culpare ignarus amicum
Adſcribit culpæ ( ſi qua notanda ) ſuæ.
Nec renuam: exilii ſocios mage diligis exul;
Non huc noſter amor, ſed tua vita vocat.
Plus quoque ament alii, ſed ſum felicior illis,
Quod mihi Fanenſi contigit eſſe ſolo.
Tempora ſi numeres, bene quæ numeramus amantes,
Non venit ante ſuum noſtra querela diem.
Debueras charos feſtinus viſere fratres,
Nec ſinere antiqui ſigna redire mali.
Principiis obſta: ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.
Cum jam tabeſcas, in te tabeſcimus ambo,
Et me deſtituit, qui fuit ante, vigor.
Ergo age: Te citius redeunte, vigebimus ambo;
Nil mihi reſcribas, attamen ipſe veni.

# EPISTOLA XX.

Sanctiſſimo D. N. Pio VI. P. O. M.

*Ob inſignia Regum Luſitaniæ pietatis officia in Domino exultanti.*

KAL. JANUARII MDCCLXXX.

SAncte Parens, ſanctæ decus urbis & arbiter orbis,
Nomine poſt quintum, nulli pietate ſecundus,
Tempore difficili conceſſum a Numine donum,
Macte animis, jam te cælum penetrabile votis
Solatur, dulceſque, Petri quas pronus ad aras
Verſaſti, lacrymæ placarunt Numinis iras.
Flectitur iratum Numen, gaudetque rogari,
Plus quoque, ſi ſummus fundat pia vota ſacerdos.
Unius ob culpam dudum tua vota fefellit
Lyſia, ſed gentis virtus in corde manebat
Ingenita, & tecum populi doluere fideles.
In cælum jaculata piis ſuſpiria votis
Effectu caruere diu: qui nuper ab alto
Regnabat ſolio, quanquam pietatis avitæ
Æmulus extiterit, cœca caligine tectus
Non potuit claram populis diffundere lucem:
Proh quantum nocuere doli! mendacia quantum
Ingenuos audent Regnantum invertere ſenſus!
Quam grave calliditas affert infida periclum!
Nunc nova (nec fallor) regnantibus aſtra relucent;
Te Regina Deo atque Tibi fidiſſima, Te Rex
Cui nullum pietate parem noſtra edidit ætas,
Clavigerum agnoſcit cæli, munuſque gerentem
Numinis, Hæredem Petri, Regemque ſacrorum,
Ter Caput auguſtum, & decus immortale tiaræ.
Aſpice, quam late tot ſeſe extendat in oras

Lusiadum imperium, qua sol cunabula lustrat,
Qua medium conscendit iter, qua pronus in undas
Occiduas caput immergit; qua lumina spargit,
Dum premimur nocte obscura; regionibus amplis
Sæpe tuum resonat sanctum & venerabile nomen,
Nota patent cunctis laudum argumenta tuarum.
Non timet ( interdicta prius ) se prodere signis
Conspicuis in communem reverentia Patrem.
Teque senes juvenesque colunt; teneræque puellæ,
Matronæque graves hilarant undantia plausu
Compita, Teque Pium factis & nomine clamant.
Cumque tuo repetunt Regum sacra nomina: pastor
Has voces, dum curat oves, seu rura colonus,
Excipit, & cælo grates acturus amico,
Ille levem baculum, hic curvum deponit aratrum,
Et genibus flexis Numen reverenter adorat.
Vivat io, clamant populi; resonabilis echo
Festivas repetit voces; nemora alta resultant,
Atque Pium juga celsa sonant, vallesque profundæ.
Interea choreas soboles pennata volantum
Explicat, & bibulas mulcet concentibus aures;
Irrigui fontes, grato levis aura susurro
Lætitiæ dare signa suæ, dare signa videntur
Ridentes prato flores, & in arbore fructus.
Undique conjiceres diffundere gaudia Numen.
Spirabant ubi cuncta metus, solatia spirant.
Tempestas furiosa abiit, lux alma refulsit,
Felices rediere dies, tantum omnibus unus
Restat adhuc dolor, antiqui meminisse doloris.
Proh dolor! Immanes tigres tota urbe vagari
Vidimus, & toto disperdere ovilia regno,
Vidimus in sacris misceri cœtibus ursos.
Proh dolor! innocuam sine crimine ducere vitam
Crimen erat, longo exilio, seu carcere dignum,
Crimen inauditum, vinclis & morte piandum.
Vos animæ illustres, Lysiis decora addita fastis,
Quas

Quas toga nobilitat, quas infula ſacra coronat,
Queiſque triumphales exornant tempora lauri,
Dicite, quas meruit virtus innoxia pœnas;
Dicite, nam ventura aliis præſtare negabunt
Sæcla fidem; ſubiiſtis enim, & memorare poteſtis.
Fas, decor, integritas, legum obſervantia, candor,
Intemerata æquo librat quæ pondere lancem
Juſtitia, & dubiis ſolers prudentia rebus,
Nec ſedem ſibi conceſſam, nec nomina ſervant;
In quorum ſubiere locum fraudeſque, minæque,
Et rabies violenta, & amor ſceleratus habendi.
Gratia ſit ſuperis: redeunt ſua nomina rebus.
Auſpiciis confiſa tuis, regumque favore
Relligio ſacris nuper vix abdita templis
( Abdita, nam ſævis hinc eſt expulſa miniſtris )
Libera per calles, per celſa palatia vultus
Exerit, & veteres cum plauſu acquirit honores.
Haſque, Pium exclamans, voces proferre videtur.
Vive ſacri caput imperii, Sanctiſſime Princeps,
A ſuperis Tibi conceſſum minitantibus undis,
Atque inter ſævas ex omni parte procellas
Per brevia & ſyrtes tutam deducere navem.
Vive diu; felix per Te modo redditur orbi
Communi medicina malo, mortalibus ægris
Opportuna ſalus, rebus ſolamen amaris;
Vive diu, de Te meditatur plurima cælum,
Atque tuis majora parat ſolatia votis.
Tecum una ſincera fides, una aurea tecum
Pax regnat, non illa quidem dilecta profanis,
Ut valeant impune minis & fraudibus uti:
Sed quam factus homo ſecum delapſus ab alto
Attulit Omnipotens, mundoque in pignus amoris
Præbuit, atque ſuis rediturus in aſtra reliquit.
Perge preces offerre Deo; perge oſcula plantis
Figere, qua Petri claves oſtendit imago;
Numinis ante thronum petit ille, ad Numinis aras

Quod petis; utque Tibi Deus annuat, ipſe precatur.
Ac velut Ægæis Turcas Pius alter in oris
Devicit, quanquam Romæ interiore receſſu
Secluſus, non cura ducum, non militis arma,
Sed lacrymæ, & gemitus certum peperere triumphum;
Haud aliter dum bella greges graviora fideles
Exturbant ( heu bella quidem civilia dicam!
Inque ſinu matris fraterno agitata furore! )
Tu virtute prius, tum fletu ſacra movente
Numina, felici reddes nos pace beatos.
Tempus erit, cum tuta greges in ovilia juncti,
Dulcia dum placidi libabunt pabula; dicent,
Hos precibus nobis Pius acquiſivit honores.

---

## EPISTOLA XXI.

*Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo Principi*

Joanni Baptiſtæ

*S. R. E. Card. Rezzonico*

*SS. D. N. Pii VI. a ſupplicibus libellis.*

KAL. APRILIS MDCCLXX.

GRatia ſit ſuperis: Pius alta in ſede locatus
Te ſocium curis gaudet habere ſuis.
Ut qui ſupplicibus promunt ſua vota libellis,
Certius audiri, te referente, queant.
Acceſſu facilis viſuque affabilis omnes
Excipis, optatam ferre paratus opem.
Sic renovant populi magni Clementis amorem,
Dum ſimili fulges dignus honore nepos.
Jam non Euganeis læti ſpatiabimur agris,
Jam non veloces experiemur equos.

Jam

Jam non in longas cœnam producere noctes,
Colloquio alterno dum fluit hora, datur;
Non posthac Veneto duces blanda otia rure:
Te curæ assiduæ, Te vocat orbis amor.
Non Tibi, sed vives aliis: Te sospite, nostro
Oh utinam excurrant plurima lustra bono.
Publica privatis præponere commoda debent,
Quos Deus in tanto lucis honore locat.
Hoc tecum, memini, crebro sermone terebam
Argumentum, alius nec tibi sensus erat.
Sic tibi formabat mentis penetralia Numen;
Hæc fuerant animo semina jacta tuo.
Sæpe quidem dictis tua me recreabat in illis
Pura fides, animi candor, honoris apex.
Sæpe quidem mecum faveant huic tempora dixi,
Et sors tam digno sit quoque digna viro.
Felix, oh nimium felix, cui Numina donant
Viribus ingenii fidere posse sui.
Audior, & nostris cælum penetrabile votis
Annuit: assiduæ jam valuere preces.
Vive diu: sic vota orbis communia poscunt,
Maxima sic nostræ gloria sortis erit.
Sed mihi sunt tituli, cur longe ardentius edam
Vota, nec absistam tendere in astra manus.
Nomine delector, quo me dignaris, amici;
Nec dulce hoc unquam nomen inane fuit.
Et tamen est aliquid, quo plus Tibi plaudere lætor,
Quo mea felici vulnere corda feris.
Protegis invisam toto nunc orbe cohortem,
Qua scriptum nomen glorior esse meum.
Protegis afflictam toto nunc orbe Parentem,
Quæ mihi lactanti prima elementa dedit.
Dilacerant materna magis fera vulnera natos,
Quam si nostromet pectore fixa forent.
Atque licet plures nostra infortunia damnent,
Pectora non tangit nobiliora dolor.

Et si forte aliquos tangit, Prudentia fallax
Impedit affectus prodere signa sui.
Ipse inter paucos toto numeraberis orbe,
Cui non incutiunt tempora dura metum.
Mille juvandi artes versas, atque omnibus idem,
Queis fortuna favet, queis nocet ipsa, juvas.
Sed primi nunquam auxilio caruere, secundi
Quo magis afflicti plus tua corda movent.
Si tamen impietas nunquam satiata dolores
Augeat, & miseros in nova damna trahat,
Multiplici titulo cura misereris amanti,
Quæque probet supero Numen in axe, geris:
Nam modo si regnat tenebrarum insana potestas,
Forsan tempus erit, quo face pulsa cadat.
Tunc Tibi crescet honos, ubi nunc minor esse videtur:
More triumphantis fama superstes erit.

---

## EPISTOLA XXII.

*Ad Eminentissimum, ac Reverendissimum Principem*

D. Alexandrum Cardinalem Mattei Romana purpura Ferrariæ decoratum a Pio VI. P. M. in reditu ex Germania.

*Quo tempore vates Fano Venetias discessurus graviter ægrotabat.*

KAL. FEBRUARII MDCCLXXII.

JAM prope tempus erat, cum me discedere Fano
Impatiens Venetæ suaserat urbis amor:
Vos eritis testes, qui me novistis, amici,
Quam sincera animi sint ea sensa mei:
Interea in Dominam redeuntem accepimus urbem;
Numinis in toto qui gerit orbe vices.

Illum exultanti ſuſceperat Auſtria plauſu,
    Gens Veneta undantes denſat ubique vias.
Quacumque incedit, properans cum paupere dives
    Lætitiæ lacrymis cernuus arva rigat.
Æmiliam ingreſſus fluviorum a Rege ſuperbam
    Culta ubi planities fertilitate viret;
Cernit Alexandrum Romano a ſanguine clarum,
    Commiſſum mira qui regit arte gregem;
Saleſio ſimilis populos dulcedine cogit,
    Tam vigiles monitus, quam pia geſta ſequi:
Hunc decorare Pius Romano deſtinat Oſtro,
    Nec patitur ſolitas gratia digna moras;
Illum Purpurei decus immortale Senatus,
    Ipſa, qua populos inſtruit, urbe creat.
Feſtivos inter plauſus & gaudia gentis,
    Tot meritis exemplum unicum in orbe fuit.
Oh me felicem! dixi, nam veſte recenti
    Oſcula pronus humi ſæpe iterata dabo,
Quam mora grata viam impediet! Ferraria votis
    Nunquam adeo cupidis aſpicienda fuit.
Me nunquam Adriacas quæſiſſe libentius undas
    Contigit; urget amor, jam properare libet.
Proh quam vota hominum fallacia! quo mage felix
    Eſſe reor, cœpi tunc magis eſſe miſer.
Heu! violenta febris tenues depaſcitur artus,
    Fatales addens inſidioſa minas.
Nam redit alternis cum frigore miſta diebus,
    Nec proſunt medica pocula miſta manu.
Paulatim impatiens metiri tempus & horas
    Aſſidet, & mortem ſigna ferentis habet.
Vix ubi decreſcit frigus, febris altera mittit,
    Et nova depulſo frigore flamma venit.
Vix tremor oſſa quatit, calor obvius occupat artus,
    Signaque ſunt longo continuata malo.
Ut mœrorem animo ſemper mala corporis addunt,
    Pœna mihi duplici ſævior hoſte venit.

Viſus abeſſe dolor, ſed rodens pectora languor,
Deliquiumque animi damna doloris habent.
Feſſa caput tremula nutans vertigine cogit
Semper in inviſo membra jacere toro.
Unica reſtabant miſero ſolatia, noctem
Aut aliqua ſomno fallere parte diem.
Somnus abit, mihi longa dies, quaſi menſis & annus,
Unde novus creſcit, cum ſonat hora, labor.
Quæque ſolent rapido noctes decurrere paſſu,
Credideram hybernis noctibus eſſe pares.
Immo etiam noctes memoro, qua volvitur axis.
Dum cælum obſcurum plauſtra Bootis arant.
Somne quies animi, curarum dulce levamen,
Somne veni: partes commiſerantis age.
Tu ſolus lenire potes tot tædia, dixi,
Irrita ſed miſere vota precantis erant.
Tum vires reparare cibo monuiſtis amici,
Nil curæ aſſiduæ, nil valuere preces.
Nil mihi, dum vigiles alimenta ſalubria fertis,
Quod magis impaſto diſplicuiſſet, erat.
Quælibet eſca animum vel ſolo nomine turbat:
Conjice, quam cruciet, ſi venit ante oculos.
Potus aqua tantum mili ſumitur, arida fauces
Nam ſitis excrutiat, viſcera toſta calor.
Impaſtum tranſire dies, producere noctes
Inſomnem cogunt tot mala miſta ſimul.
Tot mala miſta ſimul triſtes in corde procellas
Exagitant, parvam mergere viſa ratem.
Cynthia bis latuit, pleno bis ore recrevit,
Navis adhuc rabidis fluctuat acta Notis.
Cum demum in ſyrtes timuit confracta perire,
Imminuit vires dira procella ſuas.
Tertius effuſos vomitus qui provocet hauſtus,
Eſtraxit cauſas, quæ latuere, mali.
Gratia ſit ſuperis, cælo miſerante revixi,
Alma quies animi ſigna ſalutis erant.

Fe-

Febris abit, redeunt ſomni, non diſplicet eſca;
    Paulatim & ſenſus convaluere mei.
Signa tamen morbi quamvis lugubria reſtant,
    Fatalem ſatis eſt depoſuiſſe metum.
Lenta ſalus redeat, ſed lætus pergere poſſum
    Quo me ducit amor, quo mea vota ferunt.
Et color & macies Venetis reparabitur undis,
    Temperies ſorti convenit illa meæ.
Interea vatem Ferraria læta morantem
    Aſpiciet ſortem commemorare ſuam.
Hic depiƐta omni diſcernens gaudia vultu
    Præteriti morbi non memor eſſe queo.
Jam felix ego ſum, qui laudibus addere laudes,
    Quamquam inopem reddat copia, lætus amo.
Vive diu, atque iterum, præſul SanƐtiſſime, clamant,
    Vive diu, hæc cunƐtis vox ſonat una locis.
Hæc ſonat in triviis, foribuſque, viiſque propinquis,
    Hæc eadem in templis cum prece miſta ſonat.
Hanc juvenis matrona, ſenex, hanc quælibet ætas,
    Hanc ſtudio repetit ſexus uterque pari.
Vive, Pater, miſeri clamant, pietatis aſylum,
    Urbis honor, procerum gloria, plebis amor
Plauſus adhuc conſtans elapſo tempore monſtrat
    Quantum ex ſincero corde profeƐtus erat.
Non intermiſſis ultro me plauſibus addam,
    Ultro communis pars ero lætitiæ.
Purpureæ accurram mille oſcula figere veſti,
    Plura animi cupidus prodere ſigna mei.

# EPISTOLA XXIII.

De Festo SS. Cordis Jesu.

*Ad Eminentiss. ac Reverendiss. Principem Card. Aloysium Valenti Gonzaga.*

VENETIIS IDIBUS AUGUSTI MDCCLXXXV.

UT nova succedunt transactis tempora seclis,
Sic nova mortales damna salutis habent.
Sæpe lues oritur priscis ignota, vel ipsa
Opprimit insolitis jam prius orta modis.
Unde novos succos hominum solertia quærit,
Virtutem aut varia notus ab arte capit:
Sic Deus Omnipotens vigilat mortalibus ægris,
Quæcunque in mores serpat iniqua lues;
Seu vulgata prius medicamina suggerit orbi,
Sive eadem variis applicat ipse modis.
Mittit & inde habiles exemplo & voce ministros,
Ut præeant aliis ad bene gesta duces.
Viscera nunc patris, nunc judicis ora severi
Induit, & partes semper amantis agit.
Ah quoties nostri pulsat clausa ostia cordis!
Et præsens semper sæpe repulsus adest.
Factus homo nobis potumque cibumque propinans,
Non uti stimulo nobiliore potest.
Ante sacras aras cum verba potentia profert
Mysta sacer, passum nos monet esse Deum.
Ut valeat nobis moriendo acquirere vitam,
Ipse oblata Patri victima sponte cadit.
Sanguine vult proprio nostras abstergere sordes;
Servat adhuc fontes quinque salutis amor.
Utque paret sedem nobis, ascendit in astra
Orbe manens, ut nos ducat in astra comes.
Ecquis erit tantum qui non agnoscat amorem,
Et media in flamma frigidus esse velit?

Nec

Nec præſtet quod vulgari debetur amico
Obſequium, & lateri ſpernat adeſſe ſuo?
Abdita majeſtas præbet metuentibus anſam,
Noſque ornat meritis obſequioſa fides.
Summe Deus, quando donum cæleſte parabas,
Quam ſævo afflictum vulnere pectus erat!
Plurimus objicitur cæco temerarius auſu,
Fœda quibus veniet purus in ora cibus
Quot Judæ ſocios larvata fronte videbas
Sacrilego Dominum tradere corde ſuum?
Hoſtia projicitur pedibus calcanda profanis,
Et vaſa infami diripienda manu.
Si quis erit non tanta audax horrenda patrare
Crimina, vix tanti noſcet amoris opus.
Quæ pauca agnovit dono fruitura ſuperno
Pectora, Divino prævaluere animo.
Sum forte ex illis qui tunc perdulce levamen,
An qui tunc Domino cauſa doloris erant?
Oh ſoboles æquæva Patri, mea ſenſa videbas,
Nec latebræ cordis delituere mei.
Gens homines ingrata ſumus; de tigride nati
Credimur, & duro pectus ab ære riget.
Sed divina tamen neſcit patientia metas,
Nos vocat innumeris ingenioſa modis.
En Dominus, qui noſtra libens conſortia quærit,
Ut valeat donis nos recreare ſuis.
Deliciaſque ſuas nobiſcum habitare vocavit
Obſequiis cinctus qui beat alta poli.
Solus in æde ſacra longas decurrere noctes,
Quod magis eſt, longos aſpicit ire dies.
Si veniat noſtras vix cognitus hoſpes in oras,
Longe aliis ſignis excipiendus erit.
En chorus aligerum cælo deſcendere gaudet,
Et circum admirans officioſus adeſt.
Dedecus humani cordis! vaga cura propinquo
Diſtrahit huc illuc nos ſimul eſſe Deo.

Si quis adit templum ( raro tamen effluit hora )
  Jam revocare gradus tædia longa monent.
Fingis amare quidem; at nunquam mora longa videtur,
  Si ſocius nobis dulcis amicus adeſt.
Dum loquimur, ſi forte velit reſponſa negare,
  Reſponſa ingenuus noſcere gaudet amor.
Plurima dulcis amor nova ſemper & altera menti
  Suggerit, atque eadem ſenſa libens repetit.
Cumque ſuis ultro quicunque moratur amicis
  Nil animo poterit gratius eſſe tuo.
Quam celer accedis! ſed cum diſcedere debes,
  Indulgens animo pes tibi tardus erit.
Hæc cum divino ſi ſigna oſtendis amico,
  Incipis ætherea jam modo ſorte frui.
Heu dolor! in tanta cœpit frigeſcere flamma
  Orbis, ut alpina cum nive torpet hyems.
Sæpe tamen labente anno vult Numen amorem,
  Ut corda incendat, nos celebrare ſuum.
Ut bene cognoſcant homines mirabile donum,
  Divino juſſu eſt inſtituenda dies.
Ecce acuit vires hominum infenſiſſimus hoſtis,
  Ut tantum impediat, qua valet arte, bonum.
Atque homines inter ſemper ferus invenit orcus
  Proh dolor! auxilium qui dare ſponte velint.
Sit mundo deſpecta licet, dux fœmina facti
  Mittitur, at vires qui jubet, ille dabit.
Illa hominum atque erebi congeſta obſtacula vincit,
  Præſcripta eſt Roma ſacra probante dies.
Cum divina parat nobis convivia Numen,
  Emoritur ſummo victima facta Patri.
Tunc pietas hominum lacrymis immerſa jacebat,
  Spinea ſerta notans vincla flagella crucem.
Hebdomadis tum quinta dies jam ſole ſepulto
  Viderat hoc noſtræ grande ſalutis opus.
Poſtquam præcipuos Domini celebramus honores,
  Namque oritur, patitur, victor in aſtra ſubit,

Di-

Divinum emittit, quod compleat omnia, Flamen,
Et ſtabile imperium lex nova in orbe locat.
Octava hebdomada poſt hæc lux quinta recurrens
Tota in divino munere læta fluit.
Floribus inſperſis pietas generoſa triumphat,
Per fora per calles Numen adire vides;
Dives, inops, cum Rege humilis, cum plebe ſacerdos
Accenſas faculas ſupplice voce ferunt.
Attamen hæc reliquo pietas frigeſcit in anno,
Unde novos ſtimulos addere Numen amat.
Si bene cognoſcant divini incendia cordis,
Cogentur ſimili corda flagrare rogo.
Tunc bene cognoſcent potumque cibumque ſupernum,
Immenſum, excellens quam ſit amoris opus.
Et quod cæca hominum peccat vecordia, noſtri
Supplere obſequiis fructus amoris erit.
Felix, o nimium felix, cui Numen ab alto
Dignatur ſenſus primum aperire ſuos.
Eligit infirma, ut confundat fortia, Numen,
Ad tantum eligeris, virgo fidelis, opus.
Cernere flammati meruiſti vulnera cordis,
Noſcere quam dulci Numen amore flagret.
Sub ſpecie vini, ſub panis imagine quales
Excitet affectus cælica flamma, vides.
Igne pari flagras; ſic quo minus apta videris,
Contra erebum vires omnipotentis habes.
Fœmina talis erat, cui jam commiſerat olim
Feſtum ingens Dominus corporis ipſe ſui.
Non hæc commiſit doctrina & acumine claris,
Officiis opibus nobilitate viris.
Utraque nota Deo, quamvis incognita mundo,
Semper erit populo concelebranda pio.
Illa reluctantes homines, erebumque frementem
Vicit, & effectum vota habuere ſuum.
Tu non diſſimiles gaudes ſuperaſſe procellas,
Et ſummo palmas cernis ab axe tuas.

Jam pietas hominum, quod lancea fixit acuto
Vulnere, cor dulci Religione colit.
Poſtquam divinæ celebrat miracula cœnæ,
Donec in octava ſol fugat aſtra die,
Illucet ſtabilita dies, quo feſta recurrunt
Annua divini cordis in obſequium.
Plaudite mortales, vobis hoc nobile calcar
Providus ante oculos exhibet ipſe Deus.
Diſcite quid ſit amor, nec vos redamare pigebit,
A Domino in veſtrum ſunt ea geſta bonum.
Hic latus oſtendens vultu ſuaviſſimus, inquit,
Do tibi cor, fili, da mihi ſponte tuum.
Quid dare differtis? nihil eſt pretioſius illo
Munere, nil veſtro vilius eſſe poteſt.
Exultate animis, jam laus erit eſſe ſuperbos,
Quod ſibi nos tanto Numen amore velit.
At tu purpurei decus immortale Senatus,
Quem vigilem agnoſcit clara Ravenna Patrem;
Mantua quem Romæ primis donavit ab annis,
Ut clarum toto lumen in orbe fores.
Tu potes exemplo, non tantum exponere dictis
Pectore quid noſtro vulnus amoris agat.
Nam cor divinum (memini) ſermonibus apta
Materies noſtris mutua ſæpe fuit.
Sæpe animi affectus & dulcia ſenſa notabam
Reddita ab exemplis utiliora tuis.
Communi invigilare bono, & Tibi maxima laudum
Non tibi, ſed reliquis vivere ſemper erat
Si qua tamen vacuum permiſerat otia tempus,
Cum te circumdat læta corona virum,
Dulce argumentum, quo nos incendere gaudes,
Et quod corde foves ſemper, in ora redit.
Perge, favere Deo ſacræ jam redditus urbi,
Luceat ingenium cum pietate tuum.
Luceat: urbe ſacra divini cordis oſores
(Credere quis poſſet talia?) forſan habes.

# EPISTOLA XXIV.

AD CLARISSIMUM VIRUM

MARCHIONEM JACOBUM RIPANTI

SANCTISSIMÆ DEI GENITRICIS

PATIENTI FILIO OCCURRENTIS

DOLORES

*EXPONIT*

Nicander Jasseus P. A.

KALENDIS MARTII MDCCLXXXV.

## *EPIGRAMMA.*

Poſcis ut immenſi gladio transfixa doloris
    Diva Parens verſu ſit celebranda meo.
Una dies charam mihi ſubſtulit atra Parentem:
    Deleat ut nomen, ſævit ubique furor.
Heu furor! heu quamvis paullum miteſcere cæpit,
    Spes dudum optatæ nulla ſalutis adeſt.
Suſtulit una dies ter ſeptem millia fratrum:
    Conjice quot jaculis dilacerandus eram!
Sic ego conceptas poſſum deſcribere pœnas;
    Nam nimis expertum dira procella docet.
Sed non Divinæ pœnas æquare Parentis,
    Non homini verbis poſſe referre datur.
Attamen audendum: quæ tunc mihi dulce levamen,
    Materies operis nunc Dea Mater erit.

CAR-

# CARMEN.

FLuctuat ut navis pelago concuſſa furenti,
Dum cælum minitatur atrox, & turbidus aer
Nigreſcit, rauco mugit ſtridore profundum,
Hac illac reboant tonitrus, lateque per auras
Fulmina præcipiti ſerpunt ſinuoſa volatu,
Dum ſibi diſcordes per inhoſpita cærula venti
Bacchantur, rapidoque agitant maria ampla tumultu
In montes cumulata altos valleſque profundas:
Haud aliter lacero ſentis in corde procellas
Crudeles, afflicta Parens, jactata dolorum
Vortice inexhauſto, dum tot ludibria paſſum
Obſervare doles dulcem tua viſcera Natum
Undantes inter populos, circumque frementes.
Quiſque novas artes, nova pectore dira revolvit
Conſilia, ut ſtimulante odio ſtimulante furore
Immaculatum agnum excruciet nil tale merentem.
Sputa minas alapas funes convicia dumos
Infixos capiti, liventes conſpicis artus,
Languentes oculos, tot ſigna impreſſa flagellis,
Sanguineos rivos, preſſum ſub pondere corpus.
Sic tibi, mœſta Parens, Genitus ſe ſe obvius offert,
Qui beat aſpectu ſuperos, & Patris imago,
Æternæ ſplendor lucis, ſpecioſior idem
Omnibus, Aligeri quem contemplarier optant,
Qui mare, qui terram, & cæli ſpatia ampla potenti
Condidit imperio, & ſolo regit omnia nutu.
Tantæ molis erat mundum reparare cadentem!
Ah memini quando infantem ſub rupe jacentem
Vidiſti; at quamvis puerilia membra laceſſat
Ventus, & in puero crucient mala frigora Matrem,
Ipſa pio amplexu potuiſti ſtringere Natum,
Nectareum præbere hauſtum, atque illudere ventis
Veſte ſuperpoſita: quin bruta animalia circum

Ore fovent tepido, & Dominum agnoviſſe videntur:
Concentus ſuperi auditi: teſtantur amorem
Paſtores noctu vigiles, & ruſtica ſiſtunt
Munera: longinquo properant oriente Dynaſtæ,
Inflectunt genua, & poſito diademate ſummum
Thure Deum, Regemque auro, myrrhaque fatentur
Mortalem; dona ante pedes jecere Puelli,
Queis pretium adjunxit pietas. Verba omnia confers
Corde tuo, & ſervans præſcriptam a Numine legem
Relligioſa offers niveas ſine felle columbas.
Anna tibi poterat, Simeon quoque jungere cauſas
Lætitiæ; in puero cæli promiſſa fatentes
Impleri; heu! Simeon cæleſti lumine plenus,
Qui nunc te cruciat penetranti cuſpide, & intus
In tua corda furit, gladium prædixit acutum.
Jam nova tempeſtas properat; ſed provida cæli
Admonitu procul excedis, charumque periclo
Subtrahis inſtanti, & quærens loca proxima Nilo
Crudelem infantum ſtragem, regiſque tyranni
Sævitiem miſerata doles; ſed blanda voluptas
Naufragio e tanto tenerum emerſiſſe puellum,
Poſſe frui Nato, atque Deo inſervire propinquo.
Creverat, & patria quamvis fabrilia tractet
Urbe faber, ſponſoque tuo ſe ſponte laborum
Adjungat comitem, quanta dulcedine veſtros
Implebat ſenſus! domus illa anguſta profanis
Creditur, at vobis viſum eſt deſcendere cælum,
Deliciiſque frui Superum: ſtant agmina circum
Aligerum, & Tecum pariter, Natoque beantur.
Si veſtris ( quanta eſt illis reverentia! ) juſſis
Filius ipſe Dei, rerumque creator obedit,
Hoc mage veſtra ſacris incendit pectora flammis.
Heu memini, quando Solyma perquiris in urbe
Amiſſum juvenem, & quanto percuſſa dolore
Per fora per calles, donec lux tertia fulſit.
At reperis tandem circum admirante corona

Plu-

Plurima de cælo narrantem, & mira docentem
Doctrina ætatem ſuperante: immotus in orbem
Quiſque oculis fixis pendet dicentis ab ore,
Attonitoſque animos ſtupefacta ſilentia produnt,
Dum reſponſa dari nunquam prævisa notantur,
Et quæſita ſimul nulli ſolvenda reponi.
Cum ſponſo licet amiſſa tunc prole dolebas,
Nil mens infauſtum potuit præſaga timere.
Sic tibi poſt longum ſuccedunt gaudia luctum,
Gaudia ter ſeptem non imminuenda per annos.

Jamque abit, & populo ſpargens documenta ſalutis
Cæcis viſum aperit, ſurdis accommodat aures,
In vitam extinctos revocat, jam dulce levamen
Afflictos, recreatque vigor jam priſtinus ægros,

Sed modo jactatum furibundo in gurgite cernis;
Qua pelagus rabidas violentior explicat iras,
Hunc fera tempeſtas jam jam ſubmergit, & ullum
Non potis es ferre auxilium jactata viciſſim
Tempeſtate pari, & fluctu diviſa furenti.
Sanguineos ſaltem rivos, o Diva, liceret
Linteolo excipere, & gelidum luctamine mortis
Blande indulgenti ſudorem abſtergere dextra.

Vos Genii ætherei, cæleſtia munera, nubes
Ferte citi, vos oppoſito velamine Matri
Triſte oculis ſimulacrum! ah nunc ſubducite Natum.
Siſtite, namque illam, Genitum qui miſit in orbem,
Participem in tanto voluit ſimul eſſe labore.

Ah ſaltem, dum cæca animis audacia ſævit,
Sumite vindictam; noſcat temeraria regno
Seſe exturbari tenebrarum inſana poteſtas.
Siſtite: vindictam decretum in tempus omittit
Numen, & interea complenda oracula Vatum.
Proſpicit e cælo, & Geniti merita ampla recenſet.
Quin neque vindictam, quoties ſua crimina noſcant
Carnifices, potius veniam mitiſſimus idem,
Qui patitur Dominus, mediis cruciatibus offert.

Vos

Vos potius, qui non flentem, sed cuncta notantem
Mente pia aspicitis, dum contra immobilis adstat,
Vos quibus haud tantæ sunt corda capacia pœnæ,
Continuas saltem lacrymas effundite; major
Causa movet: pariter Genito, charæque Parenti
Crimina nostra augent, plusquam tormenta, dolores.
Plangite vos potius, ratio nam fortior urget,
Plangite mortales; si vestras concitat iras
Carnificum scelerata cohors, in crimina surgat
Vestra furor; quod membra Deo, quod viscera Matri
Vulnera tot lacerent, agnoscite causa fuisse.
Tu quoque plange, meis qui præbes versibus aures,
Hoc utinam exemplo potius, quam carmine discas.
Si videas hominem diris cruciatibus angi
Ante oculos Matris, quæ sensu agitetur amaro,
Sit licet ignotus, quales in pectore sensus
Commovet? ipse virum, quo non dilectior alter,
Aspicis, & Matrem, qua non dilectior unquam
Altera in orbe fuit, neque erit labentibus annis,
Dum plura emensus describet sæcula Titan,
Dum sine fine dies supero fulgebit olympo:
Atque oculis siccis potes observare dolentes?
Vel tua corda rigent triplici circumdata ferro,
Aspide somnifera, aut sæva es de tigride natus,
Si stupido humani torpent in pectore sensus.
Audior; Ecce gravi circum præcordia languet
Commotus mœrore animus, cor palpitat intus,
Ora madent; signa internæ manifesta procellæ.
Eja age: Sanguineus toto de corpore sudor
Currere debuerat, quem forsitan anxia Virgo
Ante crucem effudit; Non tam generosa requiro
Sensa animi, at saltem prodant miserantis amorem
Mollia qui duplices venient in lumina fontes.

An potero infelix, & iniquo pondere pressus
Tot scelerum, indignus venia, tot causa dolorum
Jucundos transire dies, curisque solutos,

Dum video quam mœsta dolet, quæ Numinis una
Filia Sponsa Parens felici sorte vocatur?
Quam chorus Aligerum Reginam agnoscere gestit,
Quæ facit, ut charam possim appellare Parentem;
Vita salus medicina hominum, perdulce levamen,
Sedula in auxilium, & misero spes unica mundo?
Unica vel minimæ sordis quæ splenduit expers?
Nunc decus humani generis, Triadique propinqua
Munificæ in cælo regnat facta arbitra dextræ.
Quid Natæ Sponsæ Matri Deus ipse negabit?
Pende prius qualis patitur: quicunque vaganti
Sese animo objiciat factis illustribus Heros,
Aut Regina potens, in qua merita ampla triumphant,
Forma oris, vigor ingenii, facundia linguæ,
Nobilitas generosa atavum, atque opulentia rerum,
Nil reputa, nam sola omnes longo ordine vincit.
Tum cumulum immensum, & causas expende dolorum,
Incipiet sensim durum mollescere pectus,
Et quamquam injusso, madefient lumina fletu.
Sic afflicta nimis patitur cum Numine Mater!
Mutuus auget amor pœnas, & vulnera reddit
Sæva magis. Fuerat quondam sincera voluptas
Dulcis amor, qui sæpe animos curasque levabat,
Dulcis amor fuerat; nunc cum lictoribus ipsis
Aspera conjungit sævas in fœdera dextras,
Ut Nato magis accrescat Matrique dolores;
Quin populo insano crudelior esse videtur.
Corde quidem Geniti (neque adhuc cor lancea fixit,
Non lacero, at Matri summum allatura dolorem)
Signat amor summas peracuta cuspide pœnas,
Quæ cunctis mortem afferrent, quas noscere tantum
Virgo afflicta potest, & quod videt omnia Numen,
Cor quoque maternum clavis penetrabile reddit;
Jam quinque impressit distento vulnera labro:
Plura minora etiam sparso rubicunda cruore,
Sertaque disposuit pungentibus aspera dumis,

Omnia-

Omniaque adjunxit necis inſtrumenta; ſed ipſa,
Quæ patitur tormenta Parens, nova vulnera corde
Infligunt Geniti: dum ſummum auxere dolorem
In Nato, adjungunt nova vulnera corde Parentis.
Una movere oculos Domino conceſſa facultas.
En nova maternum feriunt quæ ſpicula pectus!
Ad te chara Parens oculos advolvit amantes,
Inque tuis legit immenſas, quas corde procellas
Mæſta agitas: dolet inde magis, quando anxia mœres.
Quod doleat, magis inde doles; ſic mutua creſcunt
Vulnera, & alterius ſic auget uterque dolores
Semper ſorte pari; atque minus ſentire videtur
Quiſque ſuos: tanto tanta eſt in amore poteſtas!
Ac veluti puncto ſpecularia concava in uno
Collectos radios jactu inflammante retorquent,
Non ſecus auget amor duplici ratione laborem,
Teque novis penetrat jaculis, & acerbius angit,
Sive oculis oculi, ſeu corda reciproca ſe ſe
Cordibus objiciant, atque omnia corde recepta
Prævisſas ipſo plus augent corpore pœnas,
Plus lacerant conjuncta ſimul; ſic Chriſtus in horto
Omnia proſpectu dum contemplatur in uno,
Deficiens, & tanto oneri ſuccumbere viſus
Sanguineo ſudore ſolum conſperſit, & inter
Languentes gemitus calicem proſpexit amarum.
Mittit, anhelantem qui conſoletur, ab alto
Numen; & inſtantem timuit Deus ipſe procellam,
Cui modo per partes ſe forti pectore ſubdit.
Nulla ætas, pars nulla orbis tot vulnera vidit
Juncta ſimul Natum cruciare ante ora Parentis;
Nulla ætas, pars nulla orbis pia pectora charæ
Agnovit Matris totidem concuſſa procellis.
Oh Mater lacerata nimis! Tantum ipſe dolores
Accreſcit Genitus, quantum eſt mage dignus amore:
Creſcit amore dolor; quæ plus dilexerit unquam
Nulla fuit genitrix, nec plus redamata viciſſim.

Oh ſi Divus amor ſenſus mihi ſuggerat aptos,
Materni ut poſſim cordis penetrare receſſus!
Nemo tamen ſimiles poterit dignoſcere pœnas,
Si Genitum excipias: ſolus te vincit in illis,
Solus quid ſit amor, quot ſint in amore dolores
Noſcit, & exemplo docuit conſtanter amare.
Ah ſaltem immenſos poſſes ſopire tumultus
Effuſis lacrymis! tenues reſolutus in imbres
Miteſcit dolor; at quoties ſine limite ſævit,
Obſtupet exterius, turbatique impedit omnes
Conatus animi; dum pallida mittit in ora
Signa ſui, mœſtam premit alto in corde procellam
Acer, & a nullo imminui medicamine quærit.
Ah Tibi, non Genito tanto in mœrore negatur
Solamen mortis; quamvis ſolamen amarum,
Unica mors ferret tantis oblivia curis.
Mors diuturna quidem eſt tanto ſupereſſe dolori.
Heu! vives, o mœſta Parens, ſed vivere mortis
Inſtar erit: tua vita animum violentius anget;
Ante oculos ſemper Geniti morientis imago
Obſervanda aderit; dum ſingula mente revolves
Inſtrumenta necis, toto cruciaberis ævo.
Corde tuo defixus erit, dum vita manebit,
Cuſpide qui gladius Te nunc penetravit acuta:
Vulnere, dum vives, ſemper morieris eodem.
Non ea vita quidem, ſed mors renovata vocetur.
Oh quantum potuere hominum ſcelera impia! quanto
Numen amat pretio noſtram reparare ruinam!
Maternaſque ſuis voluit conjungere pœnas.
Majores dixiſſe velim: reverentia voces
Impedit, at ſaltem majores tempore dicam,
Atque ita majores, ut quæ diviſa ſupremum
Nunc patitur Numen, ſemper te juncta cruentent,
Qua ratione ſemel Dominum ſimul omnia paſſum
Interiore animi ſenſu conſpeximus horto.
Ah noſco quæ, mœſta Parens, nova ſenſa miniſtrat

Ingenioſus amor cruciandi, ut ſpicula vibret
Acrius, & pœnæ, valeant ſi creſcere, creſcant.
Nam tibi, quos ſummos concedere poſſet honores,
Conceſſit genitum ſine Matre ante omnia Numen
Tempora, præſcripto te Matrem in tempore legit
Factus homo ſine patre Deus; tibi nobile ſceptrum
Indulſit, terra efficiens cæloque potentem,
Et ſolium excelſum ſuprema in ſede paravit,
Sed tu poſſe pati, Mater dilecta: dediſti,
Non aliud, dare quod poſſes, mortalis habebas.
Ah nimium nunc poſſe pati tua viſcera cernis,
Atque trahi Genitum furibundæ victima plebis
Ad loca ſupplicii! Quot ſenſa augere dolorem
Apta miniſtrat amor! Sed cum decreta Parentis
Æterna hæc jubeant, nova pugna in pectore ſurgit,
Et novus ardenti cruciatus creſcit amore.
Nonne ſatis fuerat Te pro mortalibus olim
Tot lacrymas fudiſſe antro, tenerumque cruorem,
Tot reliquo vitæ ſpatio toleraſſe labores?
Nate, inquis, nobis ſatis eſt ( advertite gentes )
Non Domino: nam cum ſit opus quodcumque valoris
Immenſi, ſuperat pretium, non æquat amorem.
Oh amor in mediis nunquam ſatiabile pœnis!
Ipſe pati magis atque magis ſitibundus anhelat
Filius; unde pares nutris in pectore ſenſus.
Aut facit, aut ſimiles amor invenit: inter utrumque
Ille præit ſemper; Tu proxima ſemper inhæres;
Ille docet, tanto tu ſola es digna magiſtro.
Idque doles quod amas; oh nunquam audita doloris
Cauſa tui! Oh ratio nobis incognita amandi!
Sed cum plura pati nequeat poſt fata ſuperſtes
Numen, inauditam ſapiens excogitat artem,
Qua nova conſtantis documenta iterentur amoris,
Oſtentetque ſuas divina potentia vires,
Namque novo ſtimulo ut donum obſervemus acerbæ
Mortis, in æternum ſtatuit memorabile pignus,

Quo simul in cælo Patri sua vulnera monstret,
Et comes in terris potumque cibumque salubrem
Se se ipsum efficiat, validum munimen in hostem
Mortiferum, ut vitam, quam pro mortalibus offert,
Acquirat miseris, certamque rogantibus ultro
Præstet opem accessu facilis cupidusque favendi.
Tantum Divino potuere incendia corde!

Quas Dominus miras in amore exercuit artes,
Mens humana nequit cognoscere; sed tamen istam
Concipere Aligerum haud posset sapientius agmen.
Partem opere in tanto Te, Diva, habuisse fatemur,
Nam genitus mortis victor, rediturus in astra,
Ut clarum nobis monumentum adjungat amoris
Quod sibi dulce magis fuerat, super omnia charum,
Quam vix posset amor desertam linquere, Matrem
Liquit, ut afflictis adsit pia Mater in orbe,
Et prima edoceat donis cælestibus uti.
Illa suis similes instillat pectore sensus;
Qua dius ratione cibus, qua sumitur haustus
Instruit, & natis vigilans fausta omnia quærit.
Nos pia Mater amas; sed amas super omnia Natum,
Atque probare tamen Nati generosa dolores
Cogeris, horribilique illatam in stipite mortem,
Per Te Divino nunc est oblata Parenti
Victima, Te nostræ sortis vult esse ministram
Ipse Deus: simul ille tuos Natique dolores
Excipiens, mundo veniam placabilis offert.
Quod renovata monent sacræ miracula Cœnæ.

Atque sacerdoti, vix verba potentia profert,
Quod non Diva parens, quod non valuere cohortes
Angelicæ, concessus honor tam mira patrandi
Prodigia, & longe humanas superantia vires.
Panis erat, nec jam panem, sed Numen adoro,
Non vinum, at calicem pretioso sanguine plenum.
Hæc portenta Fides oculis contraria noscit.

Diva hominum officio, cælesti ut pane fruatur,

In-

Indiget, utque frui diſcat, Diva indiget orbis.
Sacrilego tamen ore hominum quot millia Mater
Anxia ſumpturos cæleſtem prævidet eſcam!
Atque in mortiferum medicamina certa venenum
Vertere! dum moriens ea ſigna perennia mortis
Numen amans temnenda videt, majora benignum
Excruciant tormenta animum; plus conſona Mater,
Plus Genitus mœret, quos angit acerbius ipſa
Morte dolor; mirum dictu! quos conſpicis enſes
Materno corde infixos, & vulnera ſeptem,
Hoc titulo adjungunt ſummum graviora dolorem.
Quid magis heu! Natum, matremque affliget amantem,
Quam ſponte oblatam damnum execrabile mortem
Noſcere laturam ingratis, tormenta ſubire
Irrita, ſanguineos fruſtra profundere rivos?
Nec panem Angelicum, per quem renovantur amoris
Tot ſigna immenſi, torpentibus addere calcar?
Qui divina tamen digni ad convivia currunt,
Hos amat ante alios pia Virgo, & honoribus ornat.
Ipſa propinqua Deo in cælis, non hic mage chara
Tecta habitat quam corda hominum, quando hoſpite tanto
Nos digna efficimus; ſatis eſt ſincera voluntas;
Non quæ debemus, ſolum quæ poſſumus, optat,
Cætera nam ſupplet, tantoque fruemur honore.
Sic ego Divini recolens myſteria doni
Contemplor quanto domini patientis amore
Ardeat alma Parens, quam nos imitemur oportet.
Namque amor in Genitum quo plus in pectore pœnas
Materno exacuit, plus ſummum oſtendit amorem
In miſeros homines æterno fulmine dignos,
Queis tua, queis Nati conjunctim vulnera donas.
Neſcio quis mentem, quis me novus incitat ardor!
Abripior, ſacramque feror delatus in ædem,
Qua mihi Relligio expreſſam mira arte tabellam
Oſtendit; fruſtra viſus intendere conor,
Nam cupidi lacrymis oculi impediuntur obortis.

Conabor tamen: Heu! ſummum teſtata dolorem
Objicitur mihi Diva Parens, cui vulnera corde
Alte infixa hærent gladii ſeptemplicis ictu.
Fatidico primum Simeon ſanctiſſimus ore
Defixit: ſævus crudeli lege ſecundum
Herodes, cum tot pueris transfigere pectus
Juſſit, ut excidio Numen moreretur in illo.
At gladius lacerat qui tertius ordine pectus,
Amiſſus templo defixit amabilis Infans.
Si plagas conferre juvat, quæ parte ſiniſtra
Conſpicio, quamquam noſtros ſuperantia ſenſus
Incutiant tormenta animo, tractuque profundo
Purpureos latices ſacris ardentia flammis
Vulnera tranſmittant, ſolam penetraſſe videntur
Corde ſuperficiem: tanta eſt nova cauſa dolorum!
Nam quæ dilacerant totum, & penetralia quærunt,
Quattuor a dextra capulo diſtincta cruento
Oſtendunt gladios patientis imagine Nati
Signatos. Cum prima Deum Tibi nuntia narrant,
Virgo Parens, vinctum adduci ſub nocte ſilenti.
Ducitur heu! ſævi velut agnus in ore leonis.
Dum pede nunc celeri properas, atque obvia cernis
Quæ patitur; fert ille crucem, at graviore laborat
Pondere noſtrorum ſcelerum; neque noſcere charum
Nunc oculis conceſſum, at noſcunt viſcera Natum.
Se vermem appellat, ſpecies humana recedit.
Heu tantum adſcitæ fœdant contagia culpæ!
Quam varii affectus lacerato in pectore fervent
Diva Parens! conſtanter amas, reverenter adoras,
Atque ſimul miſerata doles, mortemque cruentam
Cum Genito excipiens ultro, tanquam una voluntas
Inter utrumque foret, ſummo obſequioſa Parenti
Ingrata pro gente offers: Quis talia cernens
Temperet a lacrymis, nec cura agitetur acerba?
Reſtat adhuc duplex gladius, cum cernis atroci
Affigi ligno, & latrones inter in altum

Attolli, cum tot pressum cruciatibus illam,
Quam dederas, cernis pretiosam effundere vitam,
Et tradi obscuro liventia membra sepulcro.
Ipse ego jam similes videor sentire dolores;
Me pariter septem laniato vulnera corde
Exanimant: tamen heu! timeo, ne frigeat intus
Pœna salutaris; si sim mihi redditus ipsi,
Sensim evanescent dociles in pectore sensus,
Quos mihi Relligio cura instillavit amanti.
Te precor, o constans mihi sis comes addita semper,
Meme, adsum, tu Sancta fave, simul instrue mentem,
Et simul ure tuis mihi pectoris intima flammis,
Chara comes: non corde meo, non mente recedas,
Relligio, sacramque animo studiosa tabellam
Depinge, ut tantas cognoscam ab imagine pœnas.
Oh me felicem, ut tanti sum causa doloris
Ob sceleris noxam, si recto corde Parenti
Condoleam, & Domini pro me patientis amori
Respondere queam! Oh utinam mihi profluat imber
Ex oculis, quantum effudit Deus ipse cruoris.
Nos moriente Deo in genitos sibi Mater adoptat:
Maternæ curæ emoriens nos stipite ab alto
Commendat Natus: Divam comitemur oportet
In planctu, & similem foveamus corde dolorem.
Quæque dolorum expers Genitum prius edidit antro,
In Cruce facta Parens hominum tot passa dolores,
Poscit ut una omnes gemitu comitemur acerbo
Angores, queis nostra luit scelera impia Natus;
Ut quos Divino fratrum dignatur honore,
Servet amans, proprioque abstergat sanguine sordes.
O felix liceat peccatum dicere, talem
Quod traxit fratrem e cælo, & sine criminis umbra
Substituit nobis dignam ipso Numine Matrem!
Quid mirum Angelicis homines committere curis,
Quos voluit pretio sibi tanto acquirere Numen,
Queis Geniti vitam donat, pœnasque Parentis?

Oh

Oh quantum mortale genus nova Mater amabit (
Commiſſum a Domino! oh quanto gens parta labore eſt!
At vos, o gravium turba exoptata dolorum,
Singultus lacrymæ gemitus ſuſpiria curæ,
Accelerate gradus, nunc vos hæc tempora poſcunt;
Alma Parens, Deus ipſe Deus vos pectore toto
Excipit, & nobis ceu pignus amabile donat.
Eja agite, & veſtros in me convertite niſus,
Reddite divinis mihi cor penetrabile telis,
Hinc doleam tanto oppreſſam mœrore Parentem;
Plus doleam tam dira pati venerabile Numen;
Quod patitur pro me, major ſit cauſa dolendi;
Maxima, quod tanti tot ſigna aſpernor amoris,
Vulnera materno graviora in pectore figens.
Tum Matri in tantis fuerant ſolatia pœnis
Acquiſita ſalus hominum: Qui projicit ultro
Tot merita, omne aufert a dulci Matre levamen.

---

## EPISTOLA XXV.

Ad dulciſſimum amicum Andream Camacho Quitenſem.

*Rogat ut præcedentem deſcriptionem Dolorum B. V. M. una cum Vate ſimul offerat CL. VIRO MARCHIONI RIPANTI, ut vir nobiliſſimus libentius accipiat ingenii donum ſocii pietate conjunctum. Deſcribit vates amici ſui tenerum in B. V. M. ſeptem gladiis transfixam amorem, deinde plurimos in barbaris ad fidem reducendis per* 18. *annos ſemper indefeſſos atque utiliſſimos labores commemorat.*

KALENDIS MARTII MDCCLXXXV.

Accipe Divinæ pœnas referentia Matris
Carmina: ſunt animo ſæpe terenda tuo.
Illa ſibi claro de ſanguine poſtulat heros,
Qui meruit dudum vatibus eſſe decus:

No-

Nobilitate piis qui moribus addit honorem,
Doctrina pariter notus & ingenio.
Mens erat egregiam vatum exercere coronam,
Materia hæc illo prima jubente fuit.
Jure decus vatum, queis tam felicia quærit
Auſpicia, & doctos & facit eſſe pios.
Quis vetat ut tecum communia munera reddam?
Sic Mœcenatis ſunt mage digna mei.
Si probat ingenium vatis, dum ſiſtimus ambo
Carmina, plus pietas grata ſodalis erit.
Nam tu Virgineos quoties Andrea dolores
Mente agitas, animi ſigna dolentis habes.
Vel videas ſacram effigiem, vel ſermo recurrat,
Languet amore animus, fletibus ora madent.
Qua genua inflexus, qua ſtando, aut ſede moraris,
Obvia diverſis pendet imago locis.
Atque ubi per montes, per inhoſpita luſtra volaſti,
Barbara ſollicitus reddere corda Deo,
Solus eras, ſed Diva comes, ſed Diva levamen,
Præſidiumque tibi tempus in omne fuit.
Suggerere & voces, & vocibus addere pondus
Sedula Divinæ cura Parentis erat.
Spicula dum jaciunt, ne ſint lethalia curat;
Quodque nocere ſolet, Diva ſalubre facit.
Auſpice ſub tanta ſubito manſueſcere cœpit
Gens fera, & impoſito ſubdere colla jugo.
Sexus uterque rudi fert ſola induſia texto;
Fœmina, ne volitent libera, fune ligat.
Una adhibet proprias, proprias pars altera voces;
Ut pariter differt moribus, ore, ſono.
Sic ſtudii patiens duplex idioma doceris,
Ut charo valeas utilis eſſe gregi.
Orbe novo mirum eſt ratio diverſa loquendi
Quam prope conjunctos diſſociet populos!
Solus inacceſſo per plurima luſtra receſſu
Paſtor amans, dulcis norma, magiſter eras.

Erigis & templum, nec cui ſit forte dicandum
Hæres; cui debes omnia, corde geris.
Virginis effigies transfixo corde locatur:
Illa dedit templo nomen & illa decus.
Inde adjutricem meruiſti agnoſcere dextram,
Nec minus & reliquis, quam tibi chara fuit.
Inque homines converſa putes animalia ſilvæ,
Et ſtabilem pura relligione gregem.
Cor quoque Divinum, ſedes ubi regnat amoris,
Accenſum flammis templa ſecunda beat.
Ut caperes ſapidos nemora inter agreſtia fructus,
Non erat ars curis aptior ulla tuis.
Arva inculta diu parent fœcunda colono,
Nec fallax quovis tempore meſſis erat.
Hic me muſa vetat veſtros celebrare triumphos
Prælia qui geritis ſanguinolenta duces.
Gloria militibus magna eſt, pars altera ſorti
Debetur, pretii veſtra minoris erit.
Arma æquare ſolo, ſeu ſubdere corpora poſſunt,
Sed pietas animos officioſa domat.
Ignotam vobis vincendi exercuit artem
Andreas, populi vita, ſaluſque ſui.
Dux ſine militibus telis ſpoliatus & auro:
Sed Numen præſens, & Dea Mater erat.
Poſt duo luſtra annos tredecim numerabat, & auſu
Magnanimo invictos induit ille animos.
Vix licuit celebrare ſacræ miracula cœnæ,
Obtinet errantes quærere paſtor oves.
Qua nulla apparet per iniquos ſemita lucos,
Ignotas aliis non timet ire plagas.
Partem orbis decimam cæli metitur ad ortum;
Hæc fuit immenſæ meta petita viæ.
Tigris, aper, coluber veſtes mirantur in illo,
Simia & in ſylvis pſittacus eſca fuit.
Hic homines feritate truces, & corpora nudos,
Et nulla imbutos relligione videt.

Non dominum agnoſcunt, ſtolidi ſine lege vagantur;
Innocuos mores pectora cruda docet.
Si jaculis feriant, ſi cœco carcere trudant,
Corda modis ſenſim mulcet amabilibus.
Nunc cultrum, nunc donat acum, vitrumque niteſcens,
Ac ſubjecta Deo corpora veſte tegit.
Dividit in duplicem diverſo idiomate pagum,
Quos populos cælo conciliare poteſt.
Tertia pars fixam prope flumen, & altera ſedem
Millia poſt paſſum bis duodena locat.
Non illis America locis ſaxa ulla miniſtrat,
Quamquam alias ſoleat marmoris eſſe ferax.
Non calcem, aut lateres potuit cognoſcere gentis
Barbaries, palmis texere ſueta domos.
Sed lateres aptare docet; conchylia, donum
Fluminis, electæ munia calcis agunt.
Sic potuit duplex ſuper aſtra extollere templum,
Quod latum exornet pago in utroque forum.
Pago in utroque ſacrum celebrat, cum ſæpe recurrit
Feſta dies, rapido fit brevis amne via.
Ut redeat, ſpiſſis opus eſt incedere ſylvis,
Nec pedibus nudis terra miniſtrat equos.
Nulla die vel nocte quies, ſed pluris habetur
Immenſa exundans utilitate labor.
Sæpius infenſa crocodilum a tigride quæri
( Qua procul ante oculos fluminis ora patet )
Vidiſti crudele ſimul certamen inire;
Ille ore immenſo, ſaltibus iſta ferox.
Contigit hic colubrum ſylva vidiſſe propinqua;
Et ſalit horribili pallor in ora metu.
Nam caput humano majus, ſed forma lacertæ
Quadraginta ulnis reptile corpus erat;
Spumantes tabo rictus, linguamque triſulcam
Sanguineos dentes, fœdaque membra movet.
Scintillant oculi, & flammam eructare videntur:
Cuncta ferox monſtrum ſigna minantis habet.

Sæpe Tibi noctu placida inter ſomnia terror
Suſcitat, & nocuo credis ineſſe loco.
Quod ſæpe occurrit tigris, non cauſa timorum;
Gens aſſueta fugat, vel bene docta necat.
Sed raro aſpicitur prægrandi corpore ſerpens,
( Sex etenim cubitis longus ubique patet. )
Obſervare ſemel potuiſti ex omnibus illam,
Quæ fera non toto major in orbe oritur.
Clauſerat ille viam tranſverſo corpore, & ingens
( Exortis comitum vocibus ) arbor erat.
Nam paſſim exurgit veſtris regionibus arbor
Tangere viſa procul frondibus aſtra ſuis.
Biſque decem palmis truncus lunatur in orbem,
Menſura horrendi corporis illa fuit.
Et caput, & denſis in ſylvis cauda latebat;
Hic placuit, quos dat ſylva, parare cibos.
Tum ſilice excutiunt collectis frondibus ignem,
Et prope non notam ponitur olla feram.
Difficili ſaltu pars dorſum aſcendit in altum,
Arbor, ait, quantis uſibus apta foret!
Incipit illa tamen calefacta ex igne moveri,
Ecce *jacummama*, ajunt, effugite effugite.
Obſervate locum caudæ; ſi proximus ori
Quiſque fugit, nocuis flatibus attrahitur,
Illa greges, armenta, homines hac devorat arte,
Optatam in prædam currere lenta nequit.
Magnum elephanta Afri jactent, Aſiæque receſſus
Immenſo colubri vix levis eſca foret.
Tu dentes fruſtra optaſti, nam millia paſſum
Sexcenta a pago contigit eſſe tuo.
Hæc & plura inſtant veſtra in regione pericla,
Sed promptum invigilat Numen in auxilium.
Novi ego Jeſuadem, qui flatu attractus in ora
Serpentis morti proximus eſſe dolet.
Sed ſylvæ impediunt tranſverſaque ligna volantem,
Stratus inæquali ſæpe cadebat humi.

Vix

Vix comes accurrens gladio diverberat auram,
Se potuit celeri ſurripuiſſe fuga.
Tu ſimiles tutus potuiſti habitare receſſus;
Fit labor alma quies, & metus omnis abeſt.
Proh quam difficile eſt tales habuiſſe colonos,
Queis nimio exoritur parta labore ſeges!
Orbe novo geniale ſolum, cælique benigna
Temperies, quovis tempore veris opes
Corda beant, animos recreant, quin viſcera terræ
Divitias gaudent multiplicare ſuas,
Nunquam frigus iners, nunquam æſtas tædia gignit,
Cultura tenui ridet ubique ſolum.
Sed loca ſunt etiam perituræ obnoxia vitæ,
Solus ad hæc potis eſt ducere divus amor.
Hæc, Andrea, tuis placuit præſcribere curis,
Nec per plura fugis figere luſtra domum.
Hic carnes mane occiſæ ſub nocte putreſcunt,
Tempore ſervatur fluminis eſca pari.
Quin miſtura ſalis citius putreſcere cogit,
Extenuata pigro membra calore madent.
Potus aquæ ſemper ceu ſit calefactus ad ignem,
Irritare poteſt, non relevare ſitim.
Hic deſunt, aliis quæ ſunt animalia terris
Utilia, & nocuis terret ubique nemus.
Urbs fuerat quondam, qua montes proxima tellus
Explicat: hic noſcit barbara turba duces.
Hic arcem Hiſpani ( ſed jam duo ſæcla volarunt )
Jactabant munitam hoſtium ab inſidiis.
Extruxere domos, quin plurima templa locoſque,
Queis Chriſto ſponſæ virginitate placent.
Mœnia præſidiis & multo milite cingunt;
Nil, ſi cuncta notas, tutius eſſe putes.
Sed fera barbaries potuit veſtigia molis
Perdere, nocte una ſternere cuncta ſolo.
Fœmina quæque fuit, dextræ ſit præda rapacis,
Mors rapuit cunctos ſanguinolenta viros.

Has

Has nunquam Hiſpani potuere reviſere terras:
    Molliet effrænes ſed tua fama viros.
Namque ſues mittit bis ſex dux primus, & orat,
    Ut ſtabilem inſtituas per ſua regna domum
Cymba parata vocat, duplici ſtant ordire remi;
    Miſſa cohors pago cauſa timoris erat.
Mole gygantea vultu non corde minantur;
    Pro clypeo pennas rubra miniſtrat avis,
Membra coloratis horrent depicta figuris,
    Longaque robuſtas occupat haſta manus.
Te charo amplexu Dux excipit, ilicet omnes
    Quotquot habent pueros, ut beet unda, ferunt.
Te ſemper nobiſcum optamus, non noſtra requiris,
    Quærere ſed nobis commoda vera cupis.
Hæc vox una fuit: qui geſtant arma, recedant;
    Victima nam noſtri certa furoris erunt.
Sed placidam, quam voce doces & moribus æquis,
    Optamus legem diſcere, dogma ſequi.
Ergo veni, aut ſaltem ſimiles tibi, quære ſodales,
    Qui rectam oſtendant, qua licet ire, viam.
Oh nova vincendi ratio! Tu, dulcis amice,
    Tu nos lucrari pectora cruda doces.
Simplicitas, candor, cunctis ſubjecta voluntas,
    Cura aliorum ultro maxima, nulla ſui,
Officioſus amor, ſitis indefeſſa laborum,
    Nulla quies, vultu cum gravitate lepor.
Hæ dotes animi crudelia pectora vincunt,
    Atque trahunt faciles ad pia ſenſa feras.
Hæc fama ignotis mulcet regionibus aures,
    Et ſocios ardet quiſquis habere tuos.
Sic ſegetem immenſam cupidis meſſoribus offers:
    Aſt heu! meſſores tecum abiere ſimul.
Heu dolor! aſt animos ſatis eſt offerre paratos,
    Cætera ſupremo Numen ab axe regat.
Interea ſtupidus tua geſta illuſtria miror,
    Quique Deo pariter lucra dedere, noto.

Quot-

Quotquot erant, cælo donas luſtralibus undis;
Obvia quot venient agmina læta polo!
Andrea, hæc nobis peperiſti gaudia, dicent:
Sæpe ſonat noſtro nomen in ore tuum.
Hinc tua geſta volant toto celeberrima cælo,
Magna tuis curis turba beata ſumus.
Has habitare domos ſors maxima, ſumma voluptas,
Ut præeant plures mittere, qualis erit?
Felix illa fuit, qua te conſpeximus, hora;
Feſſus eras, felix ſed labor ille fuit.
Quæ tot feciſti, quæ tot facienda parabas,
Adſcripſit meritis Numen ab axe tuis.
Atque luent pœnas, dum præmia magna potiris,
Qui tantum artifices impediere bonum:
Namque indefeſſus ter ſextum Rector in annum
Conſilium patris, viſcera matris habes.
Mœſtus adhuc procul eſſe doles, verba anxia fletu
Injuſſo hæc miſcens (ſæpe ego teſtis eram:)
Induerem celeres & lætus & impiger alas,
Viſere deſertos ſi licuiſſet agros.
Currere in amplexus, extendere brachia collo
Cura quidem in natis, in Patre prima foret.
Quando ego non timui graviora pericula ſylvis,
Cur timeam ſtabiles per vada ſalſa notos?
Jam detecta via eſt adverſo flumine nautis,
Si ſuperent rapidas poſt mare Atlantis aquas.
Difficilis fuerat Quitenſi ex urbe profecto;
Sit quæcumque tamen, ſat mihi dulcis erit.
Forte emptæ pereunt divino ſanguine gentes;
Forte opportunam ferre daretur opem.
Quid mihi ſi deſint perituræ commoda vitæ,
Meſſis ubi domino provenit ampla meo?
Ire juvat nudis pedibus, me munere lactis,
Vino, & triticeo pane carere juvat.
Non vitulos, non terra boves pecudeſque miniſtrat,
Sed donant piſces flumina, & aer aves.

Plurima det fructus arbor; medicamina plantæ:
    Ultima ſunt alimenta, ultima cura ſalus.
Obvia nec terret ſaltu rapidiſſima tigris,
    Turba potens jaculis eſt mihi fida comes.
Hæc tua vota animum cruciant, Andrea, neque ullum
    Itala quæ vernant regna, levamen habent.
Jure quidem nil dulce magis, nil charius unquam,
    Quam cruce pendenti poſſe placere Deo.
Per te cognoſcunt, quam ſit venerabile Numen,
    Quos voluit pretium ſanguinis eſſe ſui.
Cognoſcunt animum, quo Mater amabilis omnes
    Excipit, & genito pignora chara facit.
Nam ſeptem enumeras in virgine matre dolores,
    Et diſcunt placido pectore ferre ſuos.
Artibus ut variis ſanctos inducere mores
    Inſudas, felix obtinet eſſe labor.
Virginis immenſos verſas in corde dolores,
    Quam precibus ſupplex in tua vota trahis.
Hinc ſi Diva Parens faciles tibi porrigit aures,
    Me dignum tanto redde patrocinio.
Pignora amicitiæ me plura dediſſe fateris:
    Grande mihi lucrum, ſi dabis iſtud, erit.

## AD S. IGNATIUM DE LOYOLA

*Precatio.*

SAncte Parens (non dulce neges & amabile nomen)
    Dum cecini, præſens tu mihi ſemper eras.
Namque amor in Fratres, in Te reverentia ſupplex
    Dictabant tremula carmina ſcripta manu.
Si forſan noſtri tibi diſplicuere labores,
    Hæc mea præ cunctis maxima pœna foret;
Aſt animum agnoſcis purum, mentemque fidelem;
    Ut pius excuſes, viſcera patris habes.
Oh merear ſemper Tibi filius eſſe! tuoque
    Intactum libro nomen habere meum.

## PRO TOTIUS OPERIS CORONIDE.

Fabula moralis ſub titulo: *de Pulchro.*

*Germanice ſcripta ab Illuſtriſs. Equite de Nicolai a ſecretis Auguſtiſſimi Imperialis Principis totius Ruſſiæ Gallice & Italice typis edita, quam vates in compendium expoſitam Jeſuitis applicandam eſſe exiſtimat.*

OMne tulit punctum qui miſcuit utile dulci;
O vatum immortale decus, ſeu ludere cantu,
Seu placet hiſtorias ad normam effingere morum;
A te jam didici, rerum pulcherrima quæ ſit?
Quam Patris imperio regali ſanguine fratres
Quattuor inſudant emenſo acquirere mundo,
Solliciti non divitiis non parcere curis;
Te ſequor, & juvenum varios caſuſque viceſque
Verſibus expono. Ut patrios ſubiere penates
Jam reduces, proceresque ſimul populique vocantur
Judicis ut ſubeant munus, ſceptrumque futurum
Hæredi acquirat, quæ res mage pulchra probetur.
Junior ipſe locum nullo renuente priorem
Obtinuit; tanta eſt inter concordia fratres!
Novit ab indiciis, dum luſtrat regna Canopi,
Phœnicis mortem poſt ſæcula quinque propinquam;
Innuba dum vivit, loca gentibus invia quærit,
Poſt mortem fœcunda parens cunabula condit
In tumulo, hic frondes & ligna adjungit odora
Urenda a ſolis radio, dum concutit alas.
Inde futurus avis toſta a pinguedine vermis
Exoritur, ſimiliſque brevi fit tempore matri.
Jamque Arabum excurrit montes ſylvaſque latentes
Regalis ſoboles, curamque intendit in unam
Edoctus, potuitque optata ſorte potiri.
En Phœnix patet ante oculos avis unica mundo,

Naturæ ludentis opus, qua jure ſuperbit
Ingenioſa ſuas jactans oſtendere vires.
Forma decor motus majeſtas gratia cantus
Arripuere animos, ratio ſpecioſa colorum
Scintillat, variatque adverſa luce nitorem.
Quod magis eſt, aſſueta locis latitare remotis
Non renuit circum undantis conſortia gentis.
Vive diu, exclamant populi, vive inclyte Princeps,
Nil mage gratum oculis, toto nil pulchrius orbe.
Jamque octo fluxere dies, ſtudioſa redire
Fœmina juncta viro, pueri, ingenuæque puellæ
Ornamenta prius non obſervata notabant.
Friguit interea cupidæ admiratio gentis,
Et ſenſim, quamvis pictorum expreſſa tabellis,
Amiſit primos volucrum celeberrima plauſus.
Jamque abeunt bis quinque dies; quid præbeat alter
Expectant; primi eventus fecere timorem,
Atque inquit: Non naturæ, ſed quærere præſtat
Artis opus, natura ſuos creat arbitra fœtus
Nunc nocuos, nunc deformes; ſi gramina veſtit
Floribus, & montes ſylvis, ſi lumine ſolem,
Et noctu ſtellis ornat ſpectabile cælum,
Non homini acquirit laudem, non creſcit honore.
Egregium tamen artis opus ceu nobile calcar
Ingeniis monſtrat quantum valet æmula virtus,
Quid valet aſſiduis humana induſtria curis.
Spirantes vitam ſtatuas in marmore ſculpſit
Praxiteles, cui laude parem non protulit unquam
Fœcunda ingeniis, ſtudiorum mater & altrix
Græcia, ſed ſtatua ſeſe ſuperavit in una.
Hic Frinem nimium dilexerat, illa magiſtræ
Poſcit opus dextræ, nec amantibus ulla negantur.
Selige, Praxiteles: tu ſelige, vafra reponit
Fœmina, namque operis dotes ignorat & artem;
Forſitan ille timet ſibi charum perdere marmor.
Sed tandem edocuit meditantem induſtria Frinem;
Curat

Curat ut abſenti flammis ardere penates
Nuntia falſa volent: venit ille citatior Euro,
Exclamans: ſaltem ſtatuam ſervemus amoris,
Cætera diſpereant. Frines, pelle, obvia, dixit,
Pelle metus; jam ſelegi; tum nobile donum
Sponte offert ſculptor, fraudem admiratus & artem,
Ac fama in Græcis manſit celeberrima faſtis.
    Dixerat, & cunctos tenuere ſilentia; fixo
Intuitu ſtatuam obſervant, tum murmure rauco
Secum una ſtupidi ſubmiſſa voce loquuntur:
Quam dulcis, dicunt, facies! quæ gratia frontis!
Quàm corda alliciunt oculi! quam miſta decore
Oris amabilitas! quæ membris grata venuſtas!
Quam bene compoſito reſpondent ſingula nexu!
Ars modo naturam longe ſuperare videtur,
Non dedit ipſa loqui, ſed quod nequit addere, ſupplet;
Labra movere putas, & ſum, mihi dicere viſus,
Dulcis amor, penetratque animum nova forma loquendi.
    Rex jubet, ut ſculptor properet clariſſimus arte,
Aulæ ſervitio addictus; videt ille figuram
Marmoream, fixos oculos per ſingula verſans,
Hinc taciturnus abit ceu vulnere punctus acerbo.
Quo pergis? non te juſſi tua prodere ſenſa?
Rex ait: ille tremens, neque adhuc ſibi redditus alta
Voce rude ingenium, dextramque incuſat inertem;
Mille, inquit, pergo ſtatuas in fruſta ſecare,
Quas tanto ornavi ſtudio; mea ſaxa propinquo
Marmore vileſcunt, priſcæ me judice gentes
Artifices habuere Deos, vel forſan ab aſtris
Hoc voluit cælum nobis emittere donum.
    Si pueros demas, phœnix amiſit honores,
Quamvis non tanto marmor clamore probatur.
Primores cultique viri ſpectabile pignus
Sæpius obſervant; jam nulla frequentia plebis,
Sed dignam ſtatuam communi laude fatetur.
    Ortu poſt primum, ſed tertius ordine frater

Optatum defert tectum velamine pignus;
Atque ait: in vero quæsitum agnoscere pulchrum
Quis dubitat? non est oculis, non auribus unquam
Danda fides, namque unus amat quod despicit alter.
Altius electo quærenda est regula pulchro.
Mens hominis, pars nobilior, pars optima nostri
Inquirens semper verum, oblectatur in illo.
Per mare per terras per sidera sæpe vagatur
Libera, despiciens obices, ignara morari;
Mensuram, numerumque simul cum pondere rerum
Effectus causasque notat; quin moribus æquam
Dat normam, in summum quæ sit reverentia Numen,
Et quæ felicem reddunt consortia vitam.
Hæ recreant animos, & reddunt utile tempus,
Quæque placere queunt menti, perquirere præstat.
Regna omnes celebrant, in queis sapientia floret;
Quæ jacuere diu populis ignota propinquis,
Tam bello quam pace homini bona cuncta ministrat;
Floruit Ægyptus quondam, nunc Græcia floret,
Nam doctos tot regna Indo contermina libros
Projecere manu; nostris vicinior oris
Forte fuit prima Zoroastes laude magister.
Scripta peregrinis remanent intacta rapinis,
Sed sacro semota loco, quæ cernere tantum
Parva manus valet & nimium selecta magorum.
Hæc potui furto eripere, & felicia sensim
Cura hominum nostris acquiret commoda regnis.
Tum numerat cursus varios, curasque, laboresque
Innumeros, tantum ut posset deferre volumen.
Obstupuere diu: studiis gens dedita plausus
Edidit; at Proceres librum damnare videntur;
Judicium plebs ferre nequit, sed regibus, inquit,
Incumbit dare jura, & justas condere leges,
Communi vigilare bono, sic attinet ipsis
Non expectato pretium dignoscere dono.
Opportuna libro præscribitur hora legendo:

Quæ

Quæ Logice præcepta dabat, quæ culta Matheſis
Conſpicua oſtendit, primis placuere diebus.
Sæpe etiam relegi morum documenta rogarunt;
Qui rerum auctori per nos debentur honores
Elicuere pios fletus; Princepſque probari
Dum ſua dona videt, pondus rationibus addit,
Et meritum extollit, verſatque in corde triumphum.
Cum tamen ad rerum cauſas, terraque marique
Et cælo immenſo effectus divertit in amplos
Circuitus auctor, ſubito diſcordia mentes
Incendens variis turbat ſermonibus urbem.
Creſcit ubique fragor; dices odia aſpera naſci;
Cætera vix potuit compreſſo audire tumultu
Doctorum ſelecta cohors, populuſque per urbem
Ignorans quæ vera probet, nova dogmata vulgat.
Tum Rex: indigno pretio, dulciſſime fili,
Obtinuiſſe librum jactas; pro marmore frater
Doliolos bis quinque auri ſolviſſe triumphat.
Omnia ſint potius folio tranſcripta fideli,
Atque loco ſacro juſtis optabile cauſis
Reſtituatur opus; linquat ſapientia fontes
Diffuſiva ſui, & dominis ſervemus honorem.
Sic jura a nobis poſcunt, ſic poſcit honeſtas.
Perplacuit populis æqui ſententia regis,
Nec minus in charum geniti reverentia patrem.
Reſtat adhuc ortu major, qui fratribus ultro
Ultimus eſſe loco indulget, totamque per urbem
Præbuit incertis cupidam ſermonibus anſam.
Quæ nova jam remanent populo oſtendenda fluenti?
( Hæc vox una fuit ) non quid natura, quid artes,
Quid mentis cultura ferat, jam vidimus omnes?
Expectata dies aderat, cum Principe gentes
Conveniunt citius ſolito, nam tanta cupido
Viſendi: donum optatum cortina tegebat,
Omnes intentis oculis, vultuque ſilenti
Expectant, velumque in partes ſcinditur æquas.

Ecce ſenex gravis aſpectu, venerabilis ore
Rugoſa lætus facie, qua dulcis honeſtas,
Ingenuus lepor, & pietas habitare videtur.
Candida cæſaries, vilis ſed limpida veſtis
Exornant ætate gravem, geſtuque decorum.
Obſtupuit Rex ipſe prius, cum fratribus omnes
Obſtupuere ſimul; tum Regis filius infit:
Quærere debueram quæ ſit pulcherrima rerum;
Cuncta probo cedunt homini; quem cernitis, olim
Veſter erat, ſed quinque retro percurrere luſtra
Convenit; exponam vobis placitura, favete.
    Cum Pater imperii moderandas ſumpſit habenas
Egregium virtute virum, quem tempore in omni
Conſultabat avus, ( primum appellare Miniſtrum
Uſus habet ) ſolio invenit, regique propinquum.
Majorem fama obſervans, claroque ſagacem
Ingenio, indefeſſum animis, curaque fidelem,
Lætus ſorte ſua plures ſervavit in annos.
Hunc Proceres decus imperii, ſiduſque vocabant
Laudibus innumeris, qui per commercia rerum
Intendunt lucro, qui ſcindunt rura coloni,
Artifices, populique patrem; ſed viſcera matris
Turba inopum, afflictæ viduæ, tenerique pupilli
Experti charæ libabant oſcula dextræ.
Crimina quam noſtris fuerint incognita regnis
Cum planctu memoraſtis adhuc; quam læta fluebant
Tempora! nunquam hoſtes nobis indicere bellum
Sunt auſi; viguit legum obſervantia nullo
Juncta metu; ardebant omnes virtutis amore,
Nec tot divitiis populus, nec regia fulſit,
Nec vili pretio fruges & copia rerum
Unquam tanta fuit, nos aurea ſæcla vocemus.
Ipſe tamen ſolus populo cum divite pauper
Tantum ut prodeſſet, nummorum agnoverat uſus.
Cum dilecta Parens ſocialia vincula junxit,
Quot fraudes ( vidiſtis enim & numerare poteſtis )

Turbarunt ſortem imperii, quam fida miniſtri
Heu nimium impexo valuit prudentia facto!
Perfidus Agrintus cætu ſtipulatus iniquo
Privare auxilio populos, regemque miniſtro
Emerito, potuitque relicta in ſede locari.
Cætera prætereo, veterem renovare dolorem
Mens refugit: patuere doli, & ſcelera impia nobis
Tecta diu, inſtabant graviora pericula regno:
Mille cruces, tormenta, ictus, mortiſque cruentæ
Omne genus vix pœna foret; ſed præſcius ipſe
Subtrahitur veloce fuga, quin magna latentem
Præmia detegere aut populorum induſtria poſſet.
    Sed cura majore Eglon perquiritur; ille,
Clamabant populi, amiſſos acquiret honores;
Eglonem exoptant, latuit tamen omnibus Eglon,
Et charam populi vitam amiſiſſe putarunt.
Nunc iter exponam, atque faventis munera ſortis.
Poſtquam ego tranſieram vaſti confinia regni
Per juga per valles, nemora inter agreſtia callem,
Qua pateat brevior magnas acceſſus ad urbes,
Quærere ſollicitus, ſed pagos cuncta per omnes
Explorare avido tandem pervenit ad aures,
Non procul exciſo mediis in rupibus antro
Longævum eſſe virum, qui ruſtica egentibus offert
Munera, conſilium dubiis, mœſtiſque levamen.
Tum ſervis jubeo, ut lateant, & magna revolvens
Advolo; vixque ſenex venientem a limine cernit,
Obſtupet illacrymans, & me reverenter adorat,
Quæ ſors deſerti te duxit ad invia montis,
Atque errare monet per tot loca plena periclis?
Hoc mihi ſolamen, quod in hac regione vaganti
Utilis eſſe queo; requieſce, & fercula ſume.
Obſtupui, dulceſque modos, vultumque decorum
Et gratas pariter mihi viſum agnoſcere voces.
Cognovi tandem Eglonem. Te flevimus, ajo:
Vivis adhuc? Aſtra influxu duxere benigno

Felicem: haud renuas in patria regna redire.
Te populi exoptant, longoque madentia fletu
Mille inter plausus absterges lumina Regi.
Proximus est morti lustris a quattuor æger,
Cui pia promisi assiduis solamina curis;
Sic Eglon: tibi fausta precor, mea postulat ætas
Hic procul a curis mihi vivere; at omnia, dixi,
Omnia tempus habent; nunc te comitabor ad ægrum,
Me socium excipias, a te modo vivere discam.
Jamque abeunt. Eglon cocto fert juscula pullo,
Pulmentum, & longo servata a tempore poma.
Agrintum princeps ingressu agnovit in ipso.
Contremuit miser Agrintus: si quærere fontem
Post tot lustra lubet ... Vocem interrumpit uterque:
Pone metus, ajunt, viget his pax candida sylvis.
Tranquilli redeunt vultus, noctuque diuque
Agrintum curavit Eglon ceu sedula mater.
Quodque etiam possent morituro afferre levamen,
Dulcis erat studuisse labor; tandem impete morbi
Exhalare animam aspiciens, ut floribus ornet,
Involvit corpus, frondes inspergit odoras,
Quoque potest urna erecta tumulavit honore.
Omnia contemplor, novi pietate fideli
Eglonem per lustra hosti jam quattuor ægro
Inservisse ultro; puris qua sensibus Eglon
Læto animo, culpæ ignarus, servator honesti
Fugerat, ille sibi infensus, corda intima punctus
Pondere tot scelerum oppressus per inhospita semper
Deviat, & nunquam sat delituisse putabat.
Errat utrinque amens, sed tandem lassus & æger
Stratus humi jacet esca feris; quem forte gementem
Rusticus inveniens casum miseratus acerbum
Ad celebrem pietate virum deducit Eglonem.
Horruit Agrintus, jamjam dare colla securi
Pertimuit, corpus vinclis, & pectora ferro.
Sume animos, Eglon clamat, depone timorem,

Sume animos, repetit; veterum oblivifcere rerum,
Et locus & tempus fincerum infpirat amorem ;
Sic docuit natura parens, fic poftulat æquum.
At fatis eft: nam plura mihi narranda fuperfunt,
Sed lacrymæ accelerant, & præfens in tempus omitto.
Eglonem mecum adduxi ; quos femper amavit,
Cernere lætus ovat, fed agreftem linquere pacem
Sæpe repugnabat, tandem fors profpera vicit.
Oftendant alii phœnicem, & marmore dignum
Artis opus, doctofque libros; oftendere præftat
Eglonem; mage nil gratum, nil pulchrius illo.
Vefter amor, tranquilla falus, dulciffimus Eglon,
Deliciæ regni, votis optatus anhelis
Ecce adftat: mage nil gratum, nil pulchrius illo.
Dum loquitur, filuere omnes: Eglonis in ore
Non intermiffo defigunt lumina fletu,
Et fenfim veteris nofcunt veftigia formæ.
Rex fua cum lacrymis mifcens folatia, corde
Palpitat, Eglonem an videat feu fomniet anceps.
Cætera, quæ populo Regina abeunte folebat
Vifere, vix magnum Eglonem prope novit adeffe,
Advolat impatiens charæ defigere dextræ
Ofcula, & injuffos addebant lumina fletus.
Defcendit Rex ipfe throno, amplexuque miniftrum
Sæpius adftringit, nec fe disjungere poffunt.
Exultante animo occurrunt, fed ftringere veftem
Vis fratres potuere manu; dant ofcula fignis
Miffa procul, Regina fenem cum Rege tenebant.
Vive, Eglon, clamant populi ; dulciffimus Eglon
Vivit adhuc, vivetque diu, vive euge, triumpha:
Vivat Eglon, repetunt omnes, dulciffimus Eglon,
Per fora per calles refonat cum plaufibus echo,
Vivat io, ter vivat io, vive euge, triumpha.
Vir probus, exclamant, certe eft pulcherrima rerum.
Quam bene magnatum plaufus imitantur egeni
Artifices, miferi, fparfique in rure coloni!

Rex,

Rex, proceres, populus nil pulchrius eſſe fatentur,
Et tantæ auctori cedit victoria fortis.
    Hactenus expoſui, quæ tu, cultiſſime vates
Scriptorum decus eximium, documenta dediſti,
Dum nitide expendis rerum pulcherrima quæ ſit.
Hoc opus unanimi excepit Germania plauſu;
Gallia quod gaudet, quod gaudet Hetruria prælo
Subdere, cur Latio non eſt ſermone legendum?
Narrata ingenii multum amiſere leporis,
Dum tua carminibus reſtringere ſenſa paravi,
Ut male cœnoſa ſolem diſcernimus unda.
Cum tamen Eglonem facto meditabar in omni
Vindictæ ignarum, ſemperque favere paratum,
Qui tandem ad veteres merito revocatur honores,
Jeſuadas volvebam animo, quos plurima terris
Regna jubent procul eſſe ſuis, ſed Magna ſupremo
E ſolio Catharina vocat. Tu cætera confer.

*FINIS.*

# INDEX ET NOTÆ.



** **

Versu 1. Gesta. *Exordium, seu propositio. Constantia juvenum, honor cohortis cui adscripti sunt. Non fraudibus seduci, aut minis deterreri possunt. Nulla culpa Regibus tribuenda, qui felicitatem subditorum serio quærunt.*

v. 15. Diva. *Invocatur Deipara, cujus auxilio filii sui vexilla juvenes fideli constantia sequuntur, ut vatem dirigat in bello describendo antiquis vatibus ignoto. Sanctos vocamus Divos eo sensu quo in sacris litteris:* Ego dixi Dii estis, & dedit eis potestatem filios Dei fieri. *Sic etiam aliquando Numina pro angelis numine plenis, qui divina decreta exequuntur.*

v. 39. Urbs. *Portus S. Mariæ a Trojanis fundatus auctore Menestheo Æneæ socio.*

v. 50. Dum mare. *Omina, quæ Trojanos allexere ad urbem construendam. Vaticinium de novo orbe detegendo post 27. sæcula ab excidio Trojæ, ac de fide catholica introducenda.*

v. 66. Quæ prope. *Portus S. Mariæ, & portus Gaditanus (Cadice) in eodem sinu frequentes sunt navibus ab occidente appulsis.*

v. 72. Huc. *In portu S. Mariæ conveniunt juvenes veste religio a per vim dimissa.*

v. 91. Ut miles. *Credi vix poterat tyrones sibi derelictos tantam animi constantiam servaturos.*

v. 106. Castrius. *Castrius reliquos prævenit de sociis valde sollicitus. Indutus non veste sua inambulat solus littus, rogat auram, ut suspiria sua deferat ad socios, ad P. Generalem Romæ, ad Provincialem Eugubii; mare ut eum in Italiam transmittat; flores mente ruminat a planta avulsos.*

v. 145. Talia. *Affectus animi oculis expressi.*

v. 148. At Zephyrus. *Prævia virtutum signa. Fides & Spes Castrium solantur: ejus socios conducit Charitas.*

v. 157. Hanc tenui. *Fides lineo amictu videretur induta, nisi vestis lucidissima fulgor aliud suaderet. Oculis*

vela-

*velamine coopertis plura videt, calicem cum Hostia (mysterium Fidei) ostendit dextra, sinistra Dominicæ passionis instrumenta.*

v. 169. Altera. *Spes intentis in cælum oculis, cum veste, quæ ex Smaragdo ductili videtur, depictis floribus fructiferis & anchora.*

v. 178. Obstupuit. *Castrium timidum virtutes consolantur. Nisi ultro expellantur, ducunt in cælum, quo tamen non ingrediuntur. Sed Charitas sistit animas ante Dei thronum, & corpora rediviva in cælo semper comitabitur.*

v. 203. Aurea. *Describitur Charitas, quæ socios ad Castrium conducit. Eius lux est reflexa, quia a Deo accepta ad nos per charitatem transmissa.*

v. 212. Vix ubi pervenit. *Charitas omnes inflammat, maculas abstergit, & aliarum virtutum splendorem auget. Irridetur Græcia quod tres Charites finxerit.*

v. 223. Castrius. *Dubitat Castrius, an primum Divam, an socios salutet; incitat eum Charitas, ut sodales suos amplectatur.*

v. 230. Non ultra. *Fides, Spes, & Charitas ex effectibus dignoscuntur.*

v. 233. Tum genibus. *Tyrones gratias agunt Deo, quod tandem convenerint. Rogant non quietem, sed auxilium.*

v. 248. Hæc ubi dicta. *Dum ad urbem properant, de præteritis laboribus læti inter se confabulantur.*

v. 266. Longa via est. *Perveniunt domum. Fores non ostendunt intus domus Religiosas, quas habitaverant. Supellex pauperrima, sedilia rosis lignis imparia &c.*

v. 276. Quas epulas. *Paratur men a pro temporis conditione.*

v. 281. Tum senior. *Josephus Cattaneus Mexicanus ætatis 48. annorum sacerdos, sed tyro aliis proponit, ut unus in superiorem eligatur.*

v. 315. Dixerat. *Omnes lætantur, & Castrium oculis signant, dum ipse mentem per omnes versans, cogitat cui sit laturus suffragium.*

v. 323. Ut suspensa. *Tunc verbis simulant, ut injunctum munus suscipiat.*

v. 331. Talia dicta. *Castrius dubitat an somniet.*

v. 337. Tanta ne vos. *Ut electionem dissuadeat, proponit ætatem inexpertam, & aliorum merita, ex quibus sacerdos, diaconus, annis maturiores &c.*

v. 361.

v. 361. Interea placidis. *Divinus spiritus videtur approbasse electionem; tanto solatio juvenes affecit.*

v. 364. Castrius. *Castrius domestica munia distribuit.*

v. 376. Forsitan in teneram. *Mirabilis juvenum lætitia.*

v. 387. Integritas. *Omnes virtutes cum ipsis habitant.*

v. 399. Tempus erat. *P. Joseph Cattaneus Mexicanus ardet desiderio emittendi vota, cum biennium jam absolvisset. Gaudet de superioris electione &c.*

v. 410. Erubuit Præsul. *Castrius eum dignum asserit emittendi vota, sed cum facultatem non habeat, a præsule, qui erat in Portu S. Mariæ, per litteras occulto transmissas eam obtinuit. Monet ut per octo dies peragat exercitia spiritualia S. Ignatii.*

v. 421. Quid referam? *Exultat Joseph, & ex proprio nomine sumit occasionem invocandi S. Josephum.*

v. 426. Sed postquam. *Post octo dies incidit Festum Nativitatis D. N., quæ describitur. Sequenti nocte incipit Xavier Iguaregui omnium junior ex eadem patria S. Francisci Xaverii, & junior S. Stanislao peragere exercitia spiritualia, ut vota emittat die 3. Januarii 1769. simul cum Fr. Antonio Carranca Coadjut. temporali ejusdem Provinciæ S. Fidei. Simon Augustinus Peruanus vota emiserat in urbe Arcos, tredecim alii in urbe Asta vulgo Xares. Facultatem concessere, qui in portu S. Mariæ superiorum vices pro tempore gerebant. Novem in Italia triennium completuri erant, Castrius cum quatuor Eugubii, ubi erat Provincia S. Fidei, alii quattuor ex Provincia Mexicana & Paraquaria Bononiæ & Faventiæ.*

v. 488. Cætera quid referam? *Mirum tot juvenes ita se gessisse. Castrius viginti annos natus in urbe S. Fidei ante ingressum in societatem per triennium Philosophiæ, per aliud triennium Theologiæ, per aliud Juri Canonico incubuit.*

v. 507. Viderat. *Rector Furiarum ( Plutonem nominare non audemus ) concilium convocat, ut hos juvenes sibi invisos dissipet.*

v. 516. Est in secessu. *Locus concilii describitur horribilis.*

v. 550. Gens nobis. *Rector averni queritur S. Ignatium contra eum primum novem, tum sexaginta socios collegisse, qui nunc ad viginti & unum millia excrevere.*

v. 557.

v. 557. Nec quas obliquo. *Circa polum Sol lucet ex obliquo, ubi sunt stellæ Bootes.*

v. 561. Æthiopes. *Jesuitæ ignotos Nili fontes detexerunt.*

v. 567. Quid mirum? *Excurrunt Africam Asiam & Americam.*

v. 576. Jam vobis. *Trigesies sexies exilio pulsi sunt, sed cum gloria revocati.*

v. 584. Nil mihi. *Inferno Rectori nil magis cordi, quam Hispanos Jesuitas perdere; ab illis enim primi duces, primi Sancti &c. Dolet viginti sex juvenes seduci non posse; timet &c.*

v. 600. Dixit. *Signa desperati animi. Aliquæ Furiæ ad eum locuturæ accedunt.*

v. 611. Ceu cum dira tonat. *Rumor confusus inter furias, velut cum venti, pluviæ, tonitrus, & torrentes simul bacchantur. Furiæ habent cerastas pro capillis.*

v. 628. Forte. *Infamia, Invidia, Livor & Fraudes deerant in concilio dæmonum: eorum adventu omnes tacent. Infamia vocatur Larva, quia, cum sit nigra, calce dealbatur; cum sit celerrima, videtur lenta.*

v. 653. Illa graves. *Narrat complures a se inventos, qui Jesuitas ultro calumnientur; neque opus fuit illis malum animum occultare.*

v. 674. Sic homines. *Scriptis facile ingenuos decipiunt, etiam in Regum aulis, & Magnatum palatiis.*

v. 688. At modo. *Infamia frustra conatur Tyrones decipere, timet ex illis desumi argumentum scripta & obtrectationes esse calumniosas, proponit unicum remedium Violentiam mitti, ut juvenes sub pœna capitis separari jubeantur. Violentiam comitantur furiæ, sed illa omnium celerrima precedit.*

v. 730. Interea. *Tunc temporis virtutes Theologicæ, quæ juvenes primum unitos comitatæ sunt, & morales, quæ cum ipsis habitabant, auxilio erant. Clementia matris officium sibi assumpsit.*

v. 737. Borgia prima fuit. *Juvenes commendat primum Exc. D. Annæ Mariæ de Borgia Nepti S. Francisci Borgiæ.*

v. 743. At Matrona. *Juvenes alloqui lacrymis impeditur, recolens quantum Regibus fuerit charus S. Franciscus seu Prorex, seu Jesuita. Sed animos addit Clementia.*

v. 752. Felices. *Ait Exc. Borgia S. Franciscum excepis-*

*cepisse S. Kostkam exulem, nunc cernere de cælo juvenes a multo longiore exilio quærentes abscisam vestem; interea Deum observare animum, non vestem, quia etiam S. Borgia jam a S. Ignatio in Societatem admissus primis quattuor annis in suo palatio vixit sæculari veste. Addit suos Majores semper Jesuitis favisse, sed dolet hunc amorem non servare Principes & Magnates, qui a S. Francisco Borgia proveniunt. Omnes enim Europæ Principes ab eo per fœminas descendunt.*

v. 778. Sed quid ego. *Laudes Majorum pro suis non habet; Jesuitas amat non Majorum exemplo, sed propria indole; si felices amavit, amare perget infelices: tunc enim verus amor dignoscitur. Ipsa etiam nimis adversam fortunam experta, miseris amat succurrere.*

v. 794. Dum loquitur. *R. D. Petrus offert centum pondera ( ita vocantur nummi argentei unius unciæ ) quinquaginta sua, & quinquaginta a fratre missa; alios indicat, qui totidem circiter parant, & alium, qui sexcenta donare statuit. Juvenes pecuniam nolunt accipere. Petrus indicat circumstantias, in quibus versantur. Tandem addit eos ducturum ad nobilem & divitem Matronam, quæ eos expectat. Gaudet Exc. Borgia, & impedit ne Castrius ipsi gratias agat.*

v. 833. Oh nostris miserata malis. *Castrius dum abit, gratias agit Exc. Borgiæ. Notetur versus* Tum primum juvenes.

v. 845. Jamque abeunt. *D. Petrus eos ducit ad Exc. Joannam. Describitur nobilis palatii ingressus. Generosa Exc. Joannæ allocutio, prudens Castrii responsio. Notetur parenthesis:* cur ora rubescunt?

v. 898. Jamque diem. *Vespere domum redeuntes juvenes invigilat Castrius ne precibus & corporis afflictationibus excedant.*

v. 905. Tyronum interea. *Tyronum pietas civibus materiam loquendi præbet. Faventium & detrahentium animi comparantur duobus exercitibus inter se propinquis.*

v. 944. Borgia. *Exc. Borgia cupit seriem laborum a Tyronibus audire, eorum præcipuos benefactores ad se vocat, &c.*

Heroum lib. II. pag. 36

v. 1. Conticuere. *Incipit Castrii narratio, innuit plura incommoda senes subiisse.*

v. 24. At si tantus amor. *Exordium sumit a communi sociorum expulsione.*

v. 38. Eſt tibi. *Deſcribitur America, & in ea quattuor regiones, ex quibus tyrones profecti ſunt. America fere æqualis tribus mundi partibus ſimul unitis. Ab Oriente & Occidente lato Oceano a cætero orbe diviſa. Verſus polos continuata; & ad polos incognita.*

v. 53. Decreſcunt. *In medio Americæ pelagus magnum ſinum efficit, & ut Mare Atlanticum cum Pacifico non communicet, impedit anguſtum telluris objectum, vulgo* Stretto di Panama. *Ex quo ad ſiniſtram vides Imperium Mexiacum, ad dexteram ſeu meridiem poſt menſem itineris terreſtris ſemper aſcendendo ad urbem S. Fidei pervenies, poſt Limam devenies caput Imperii Peruani ad Mare Pacificum. Si deinde quæras flumen argenteum (vulgo della Plata) ubi primum obtinet nomen, nempe Paraguai, invenies provinciam Paraquariam valde diſtantem ab utroque mari Atlantico, & Pacifico. Vix flumina Paraguai, & Uraguai ſexcentis aliis aucta fluviis conjunguntur; vocatur flumen della Plata, quod mare non falſum appellari poſſet.*

v. 90. Forte per ambages. *Excuſat ſe Caſtrius, quod narrationis initium ex induſtria videatur differre.*

v. 96. Jam late. *Incipit narratio. Deſcribitur aurora diei primi Auguſti; pulſatur ad fores: dubitant Tyrones an aliquis infirmus Sacerdotem vocet; veniunt milites, dubitant an aliquis ſceleſtus perquiratur. Incipit mira in Tyronibus conſtantia.*

v. 132. Nec ſatis eſt. *Judex inter alios fert ſecum P. Priorem Dominicanorum, ut Tyrones ſecum deferat; legitur regium decretum; relinquitur Tyronibus eligendi libertas.*

v. 139. Oh Pater. *Juvenum lætitia in laboribus, & dolor quod ſuo ductui relinquantur.*

v. 149. Quin etiam. *Deſcribitur Libertas, quæ Tyronibus apparet.*

v. 172. Talia dicentem. *A Tyronibus expellitur, alii obturant aures, alii eam vinciunt. Vincta & ligata Deo in victimam offertur.*

v. 200. Hæc ubi. *Expoſitis periculis, quæ libertati attulit peccatum Adæ, ſtabiliunt Tyrones unum ſemper in ſuperiorem eligere, & horarum diſtributionem religioſe ſervare.*

v. 213. Quinta dies. *Poſt quinque dies venit Prætor magno comitatu.*

v. 218. Ah juvenes. *Prætoris allocutio ad Tyrones.*

Poſt

*Post biennium desunt adhuc quindecim anni ad solemnem professionem.*

v. 249. Dixerat. *Seorsim juvenes interrogat. Ipsi unanimes confidentiam in Deo collocant, negant a patria terrestri discessum vocari exilium. Vestem se nunquam amissuros sperant, dolent non prius societatem esse ingressos.*

v. 285. Talia. *Metus & periculum amittendi vestem omnium lacrymas movet.*

v. 294. Jam satis. *Prætor ipse lacrymatur, & se excusans discedit.*

v. 299. Septima. *Post septem dies redeunt in tyrocinium. Pulchra comparatio ad Tyronum gaudium exprimendum. Templo accedere prohibentur. In domestico Sacello vota renovant, P. Thomas Villas monet socios in exilium abiisse &c.*

v. 341. Tum medias. *Vili & incommodo equitatu ad Hondam a militibus ducuntur, per montes & sylvas; inde ingrediuntur cymbam angustam & sine tecto, sed lætissimi quia charum in Tyrocinio magistrum Hondæ inveniunt.*

v. 356. Nautarum. *Nullam in itinere molestiam sentiunt invento magistro, cui tribuunt tam brevi tempore profecisse. Maxima laus hæc P. Dominici Scribani Itali Placentini, qui sæpe fuit magister novitiorum post magisterium & ante & post provincialatum & ex procuratore Romam misso rediit, iterum magister novitiorum. Duo Tyrones ob infirmitatem & urbe S. Fidei non potuerunt Tuncam pervenire, & ibi apud profanum hominem detenti, deinde ad suos restituti cum illis veniunt in Hispaniam, ubi tandem e societate discedunt.*

v. 375. Jamque aliam. *In Mompos cymba mutatur: Prima Augusti ad Dominicanos deferuntur, octava iter quinquaginta dierum ad portum maritimum incipiunt. Describitur urbs, & portus Carthaginis, ad quam perveniunt die 26. Septembris, quo mense dies noctibus sunt æquales.*

v. 394. Tum mihi. *Describitur Fortuna, quæ Castrio in somniis apparet; in qua neque forma, neque dona Castrio placuere.*

v. 423. Quæque tuos socios. *Eadem navis dicta* Victoria *Tyrones duxerat ex Hispania, & nunc in Hispaniam deportat: In hac parva navi collecti sunt 54., in alia majori 88. Jesuitæ vela daturi 17. Octobris. Post viginti duo dies itineris immorabuntur in Avana diebus 45. In*

*In itinere moriuntur duo seniores, unus Tyronum in portu Avanæ. Prædicit fortuna reliqua viæ incommoda, infirmitates, & procellas.*

v. 449. Attamen. *Die 24. Decembr. Avana excedunt, 25. Febr. 1768. Gaditanum portum ingrediuntur, & 27. Febr. descendunt in portum S. Mariæ. Si uno die protraheretur iter, omnes in mari fame perirent.*

v. 465. Nec tamen. *Fortuna prædicit in Hispania pericula, sed Tyrones tandem Romam ituros, & decretis cæli expositis in Deæ formam mutata disparuit. Tunc Castrius socios Tyrones amplectitur, reliquos vero vix adire potuit, immo in portu Avanæ neque loqui, neque cernere concessum.*

v. 490. Non ego. *Noti sunt Exc. Borgiæ labores & incommoda navigationis, quamvis in navi honorificis famulantium obsequiis stipata fuerit. In hac navigatione tres sunt mortui, ex quibus unus tyro.*

v. 507. Hanc urbem. *Vix ad suos in portu S. Mariæ delati, subito ad cœtum cujusdam ordinis Religiosi ducuntur, ubi virtutis specie tentantur: mirum est juvenes inexpertes tot dolos novisse, tot pericula superasse.*

v. 533. Jamque octo juvenes. *Omnium gaudia in adventu octo Tyronum ex Paraquaria. Jam numero 26. statuunt exercitia S. Ignatii clam peragere, & per octo dies fruuntur pace. Tum Prætor venit, & tria regia decreta indicat. I. Qui volunt permanere Jesuitæ, subibunt perpetuum exilium. II. Si unquam redeant, morte plectentur. III. Eadem pœna Tyronibus est, si vestem libere non deponant.*

v. 560. Obstupuere omnes. *Omnes miram constantiam profitentur. Præsul Religiosus iras suas patefecit; regius Prætor, cum solus juvenes alloquitur, eos mirifice laudat.*

v. 585. Tum comites. *Discedit Prætor, & per duos menses a ministris regiis deseruntur, sed a viris religiosis artibus tentantur, quæ vix credi possunt. Adduntur alii novem ex aliis provinciis, unde sunt 35.*

v. 610. Finge animo pubem. *A Deo non tantum vires ad constantiam, sed intelligentiam, ne decipiantur, videntur Tyrones accepisse, ut unus ex illis viris Religiosis prius persecutor, tandem ingenue professus est.*

v. 621. Ultimus. *Tyro, qui octo tantum dies in novitiatu fuerat, a consanguineis voce & scripto frustra tentatur.*

v. 639. Mensis erat. *Mense Majo in Aulam mittuntur*

tur juvenes supra asinos male tectos, milites eos in equis comitantur. Prætor sæpius Tyrones enumerat, asperrime juvenes alloquitur, S. Franciscum Borgia irreligiose nominat.

v. 677. Forte aderat. *Diversi affectus spectantium. Vir Religiosus Canes infernales nominat juvenes, Matrona nobilis eum domo statim ejicit.*

v. 684. Hic iterum. *In quadam domo Religiosa viginti sex includuntur, in qua omnia ipsis desunt, sed, quod vix credi possit, negatur absolutio, & SS. Eucharistia ob suppositum peccatum non petendi a Societate Jesu dimissionem. Describitur hoc factum incredibile.*

v. 728. Tum placet. *Eligunt Tyrones unum inter se, cui animi angustias aperiant, hoc detegunt Religiosi, monent Prætorem, qui electum alio mittit, remanentibus indicit, ut tandem eligant futuram vitæ formam; crescunt domesticæ persecutiones.*

v. 738. Illuxit. *Accedit Prætor, ut Tyronum animos exploret, omnes constantes invenit exceptis duobus. Vir Religiosus illis irascitur, quod in horto, quo separatim vocantur, inter se confabulentur. Mira fuit temporalis Coadjutoris facundia; contempserat ille suorum litteras in portu S. Mariæ, nunc pariter respuit nobilis viri litteras, & Religiosis viris prava suadentibus semper recitat verba libri Thomæ a Kempis de contemptu mundi opponit.*

v. 762. Forsitan. *Nil magis Tyrones cruciabat, quam plures e senioribus Societatem deseruisse, ut illis fingebatur.*

v. 772. Tum juvenis. *Ad hunc summum dolorem evitandum venit juvenis speciali Dei auxilio, qui optabat in Societatem ingredi, finxit se unius fratrem, & adeo inimicum se Jesuitis ostendit, ut superior Ordinis non dubitaverit illo uti socio ad Tyronum animos superandos: Hic juvenis in lingua Catalaunica satis instructus potuit falsa tanquam vera asserere; sed verbis abstrusis & Astæ ignotis detegere veritatem. Describitur hæc lepida confabulatio.*

v. 826. Tartareæ. *Tartareæ furiæ instruunt Prætorem; ostendunt plures, qui Societatem reliquerant; fingunt multos procul transeuntes fuisse Jesuitas, vocant columbas qui corvorum vestem in Societate in candidam commutarunt.*

 Si

*Si aliquis vero ex Jesuitis fuerat, ad illos ducuntur, qui tamen erubescunt, & vix lacrymas comprimunt, pauci tamen cum veste amorem exuisse ostendunt. In hac ultima persecutione Patres Carmelitani Calceati Tyronibus semper favere.*

v. 870. Viderat. *Miseratio videns hanc maximam juvenum angustiam in eorum auxilium accurrit. Tres pauperes invenit, quos ipsa reddit habiles. Omnia nitide describuntur.*

v. 920. Sic Divæ auxilio. *A Diva multa habent commoda, nec mirum, si ex 35. tantum remanent victores 26. Neque hostium victoria laudem meretur.*

v. 934. Mexiacam. *P. Marques Mexicanus in Portu S. Mariæ vices agit Provincialis, concedit quattuordecim Tyronibus facultatem emittendi vota, & monet Prætorem per epistolam non posse Tyronibus vim inferri, quia jam sunt Jesuitæ.*

v. 951. Ac veluti. *Comparatio hominis, prope quem fulmen cecidit. Ita Prætor accepta epistola veritatem inquirit, omnem vigilantiam adhibet, & aulæ ministros monet.*

v. 971. Septima lux tandem. *Post duos menses, nempe 7. Decembr. ante fores ædium Religiosorum Tyronibus vestes exuuntur, qui flentes eas deponunt. Videtur Miseratio ex Asia in Portum S. Mariæ juvenes præcessisse, qui ulterius eam Asiæ non sunt experti.*

v. 991. Felices. *Computantur felices, quia simul esse possunt, & in portum S. Mariæ se transferri statuunt. Villicus accitus ad suppellectilem deferendam horruit, non tamen auriga: tanta erant plebis convicia in juvenes, quæ Castrius præcedens non audivit. Sed summopere fuit afflictus ob sociorum moram, timens nova infortunia. Eos tamen appropinquare videns lætissimus accepit.*

v. 1024. Huc tandem. *In portu S. Mariæ generosos animos inveniunt.*

Heroum Liber III. pag. 65

v. 1. Inclyta. *Adstantium admiratio ob res a Castrio narratas. Exc. Borgia omnes rogat, ut statim curent navem conducere ad deducendos in Italiam Tyrones.*

v. 27. Vidi ego. *Videt furias minarum plenas, ut juvenes in paternas domos deferantur, & pietatis impetu abrepta juvenum fugam accelerat.*

v. 54. Tu mecum interea. *Omnes rogat, præcipue Exc.* Joan-

*Joannam, ut hanc curam suscipiat, quod si sequenti die evenire nequeat, rogat ut permittant juvenes ad convivium invitare in villa littori propinqua, & ipsamet, quamquam ignara, cibos statuit parare. Interea Vincentius admonet propinquiorem socium jam solem esse sepultum, & ideo non esse tempus immorandi extra domum.*

v. 89. Quamquam. *Exc. Joanna subrisit, laudat Exc. Borgiæ studium, precibus Tyronum rem commendat, diem adhuc superesse notat, Petrum jubet ut illico navem quærat.*

v. 109. Emicat interea. *Narrantur quæ cum nauclero Anglo, & Hispano evenerunt; deinde poetica fictione prandium in civitate exhibitum describitur in villa.*

v. 163. Qua mare prospectant. *Cum Exc. Borgia divitiis non abundet, supponitur villam antiquæ pompæ multum amisisse.*

v. 195. Sic vobis. *Honor Tyronibus impertitus.*

v. 210. Phœbus iter medium. *Magnificum prandium more hispanico.*

v. 247. Vina. *Indicantur celebriora vina hispanica, unde non est opus vina quærere ex Capite bonæ spei in Africa, vel vinum Tokai ex Hungaria, nec ex Græcia, ubi Ciprium vinum per plures annos sub terra sepultum summe æstimatur &c. Inter vina Hispaniæ celeberrima ponitur ultimo Canaria ex insula avibus hujus nominis fœcunda. De Tarraconis vino ait Martialis cedere Campano, sed certe vinum Sitias prope Tarraconem superat non Campanum olim celebre, sed plurima alia.*

v. 271. Hic aliquis procerum. *Vinum Mexicanum celebre in illis partibus, sed difficile extra Mexicum in America bibitur. Vinum ex Chile, ex quo videtur polus Antarticus, quem neque Hispani, neque Europæi vident, est pariter in illis partibus optimum.*

v. 293. Postquam expletæ epulæ. *Plurima jubet in navem transferri Exc. Borgia cum doliis vini & aquæ &c.*

v. 305. Castrius interea. *Solvunt Deo grates post mensam; questus benevolentia pleni ab Exc. Borgia, responsio opportuna; volunt omnes benefactrici gratias agere, illa, ne lacrymantem videant, subtrahitur.*

v. 377. Illi inter sese. *Omnes juvenes ad aulæa observanda convertuntur. Corianus ex Peruana Provincia videt S. Franci cum Borgia acu pictum, qui anno 1567. mittit duodecim socios Limam anno 35. fundationis ipsius. Mirati sunt Peruani, cujus imperii Lima erat caput, naves immensæ molis, queis antea solum nota erat cymba unius*

*ligni excavati. Excepti sunt Jesuitæ summo plausu. ( Vide Sachinum lib.4. ) Indicantur PP. Portilli, Baccamontii, Tontii, & Lopezii labores.*

v. 414. Jamque novis. *Toscanus in Limana Ecclesia Cathedrali Decanus Episcopatum recusat, & simul cum regio senatore societatem ingreditur. Erigitur Ecclesia in loco dicto Colubrum, ad quam S. Franc. de Borgia mittit imaginem B. M. V. ab exemplari a S. Luca depicto.*

v. 427. Aspice. *Raymundus Casanova ex provincia S. Fidei notat oratores ex Chile & Quitto Limam missos, ut Jesuitas obtineant. Chilenses equi velocitate celeberrimi. Urbs Quittensis supra montes altissimos, ita ut celebres montes* Cordigliera *inferiores sint; habet perpetuum ver sub æquinoctiali circulo.*

v. 436. Urbs. *Marianus Constans meminit provinciam suam S. Fidei olim cum Quitensi eandem fuisse, sed Antonius Salens observat primordia Provinciæ S. Fidei desumi posse a primis illis Patribus Limam missis, quia duodecim ad Carthaginensem portum appulere, etsi non omnes Limam pervenerint. Dolet Leander Gonzales non fuisse Carthagine diu immoratos, & Ven. Petri Claverii gesta innuit. De hoc jam Ecclesia decrevit constare de virtutibus heroicis.*

v. 452. Quod nequit tunc Lima. *Didacus Sebastianus narrat Collegium S. Fidei initium habuisse anno* 70. *ab ea urbe condita a PP. ex Mexico ab Episcopo delatis, qui in Europam missi cum sociis rediere anno* 1604. *, quo & Collegium & convictus incipiunt.*

v. 466. Quis tamen, o socii. *Vincentius Sans observat virum S. Franc. Borgiæ similem Seminarii S. Fidei fundationem pecunia liberaliter juvantem. Respondet Franciscus Carchanus esse Proregem ipsius S. Borgiæ nepotem. Lætatur Joannes Petit Proregem nomen Joannem habuisse sui similem.*

v. 478. Xavier interea. *Observat Xavier Iguaregui omnium junior plures suæ provinciæ martyres. Unum inter flammas adeo bene depictum, ut compassione motus ligna tentet removere, sed Petrus Castrius ex urbe Mompos hæc exempla eum movisse ait ad societatem ingrediendam; Vincentius a Castro ex urbe S. Fidei reponit non antiqua exempla eum movisse, sed ea quæ in Jesuitis suæ ætatis observabat. Tum exponit factum Servi Dei P. Figueiræ, qui a barbaris pro signo veritatis doctrinæ quam prædicabat ita quæsitus, eam in medio flammarum exposuit.*

v. 536.

v. 536. Talia. *Andreas Villa gaudet observans Tyrones olim in Novitiatu Tunchensi columbis cinctos in testimonium innocentiæ.*

v. 548. Hæc ait. *Quattuor Fratres Coadjutores S. Fidei haud intelligunt picturam, quam intenti observant, & inter se conferunt recitando verba libri Thomæ a Kempis.*

v. 573. At senior. *Picturam explicat P. Cattaneus ex Prov. Mexicana. In Provincia S. Fidei ortum habuit sodalitas B. V.* de Soccorso, *ubi singuli celebrari curant duo sacra unum pro vivis, aliud pro defunctis. Sacrificia nunc in toto orbe ad octo milliones ascendunt. Instituta est sodalitas a P. Petro Varais jussu ejusdem B. V. Poeta diutius immoratus est in rebus ad Provinciam S. Fidei spectantibus, quia ad illam major Tyronum pars attinet.*

v. 590. Dixerat. *Ipse P. Josephus Cattaneus, & Simeon Augustinus ex Provincia Mexicana monumenta suæ provinciæ observant, primo urbem pulcherrimam, & templum B. V., deinde aliquas missiones, & animadvertunt Caliphorniam non esse insulam, ut prius æstimabatur.*

v. 604. Tres clari. *Bernardus Ascona, Franciscus Urreola, & Clemens Baigorri. Omnes Americani. Vident tria exemplaria operis Muratorii :* il Cristianesimo felice; *legunt per summa capita, & omnia cum pictura convenire observant. Legentibus accedunt quattuor Fratres Coadjutores ejusdem Provinciæ de Paraguai, Joannes Pius, Joachinus Triberin, Hippolytus Urbina, Josephus Elguezabal. Liber erat ex Italica in Hispanicam linguam nitide traductus.*

v. 637. Per spatia. *Juvenes repentino sono conterriti, sed adventu Exc. D. Joannæ subito recreati.*

v. 654. Dum loquitur. *Affertur omnibus potio* cioccolate. *Injicitur sermo de laudibus Italiæ, quam juvenes adituri sunt; & per villam insimul spatiantur.*

v. 668. Et jam majores. *Redeunt domum ante occasum Solis, paratur cœna viris nobilibus: negant se juvenes nimium pastos posse mensæ assidere; monet Exc. Joanna ut somno indulgeant, quia ea nocte in navem ire debent, & securos reddit de proxima profectione in Italiam; Exc. Borgia præ amoris teneritudine vix felicem quietem augurari valet, & proceres ad cœnam deducit.*

v. 689. Ducenda in navem. *Strata hic erant pro navi parata, sed juvenes statuunt orationi incumbere ad cæleste*

*auxilium obtinendum: interea de illis convivæ loquuntur: Exc. Borgia ad eos invisendos subtrahitur, affectus varii describuntur, dum videt eos orationi mentali non somno indulgere, narratura quæ viderat a D. Petro interrumpitur, qui juvenes ad navem vocat, fassus omnia direxisse jussu & consilio Exc. Joannæ. Affectus varii Procerum in eorum discessu*

v. 740. Ad sacram. *Omnes rogant, ut juvenes ad aras S. Ignatii, S. Aloysii Gonzagæ, S. Stanislai preces fisiant, D. Petrus urget voce & vi ut discedant; ultima Procerum amoris signa erga juvenes, & ut Exc. Joanna semper generosum animum ostendit, ita Exc. Borgia teneritudinem, & compassionis signa exprimit.*

v. 771. Jam ter quinque dies. *Die quintadecima Januarii ascendunt navem, sed duodecim diebus in portu immorantur. Dolet aliquis noctes esse nimis longas, sed alius reponit nil mirum hiberno tempore noctes esse longas; dies autem sibi longos videri; habuerat etiam ecreto missam epistolam de periculo imminenti, nempe ut juberentur in paternas domos distribui.*

Heroum Lib. IV. pag. 87

v. 1. Panditur. *Deus juvenum preces exaudit, Angelos vocat, ad eos allocutio.*

v. 20. Jam satis. *In Hispania juvenes munificentiam experti sunt, quam in Italia non experientur; in Italia quietem, quæ in Hispania illis defuit.*

v. 39. Dixerat. *Aligeri veniunt in portum Gaditanum: cymba ex portu mittitur ad reducendos juvenes, Angeli jubent ventos inter cymbam & navem collocari, unde cymba in portu citissime redit, navis iter suum fauste prosequitur.*

v. 54. Jam procul. *Eadem die 27. Januarii discedunt a portu, ingrediuntur Mediterraneum Sole jam occiduo. Hispaniæ terras adlambunt, & Almeriæ morantur, quæ Magnus Portus, & Hircus a priscis appellata fuit. Juvenes 2. Februarii vellent ad templum descendere ut festum Purificationis B. V. celebrarent, sed prohibentur.*

v. 93. Bœtica terra vale. *Cum reliquatur pars Hispaniæ, quæ Bœtica appellatur, hanc vates alloquitur conferens quam diverso modo nunc Jesuitæ ab ea discedunt, atque ante discedebant ex portu Gaditano Missionarii ad Americam.*

v. 123.

v. 123. Quamquam inter Divas. *Describitur legum observantia religiosa, cujus pars in exacta horarum distributione consistit. Hæc pars latere debet occasione ingrediendi navem, & itineris marini incipiendi ob temporis confusionem, sed inculpabilem.*

v. 145. Ut primum juvenes. *Juvenes visa Dea erubescunt, sed ab ea sublevantur; monet ut folium divisionis horarum attente relegant, quod omnes peragunt.*

v. 157. Nulla mihi. *Primum monitum de præsentia Dei, & Angeli tutelaris custodia; cura non amittendi tempus, ipse somnus ex obedientia merito non caret, qui septem horis protrahitur incipiens a decima ante mediam noctem.*

v. 171. Pellere jam somnos. *Cum e somno surgimus, quid in cubiculo faciendum.*

v. 178. Lector adest. *Subito ad sacellum ad spiritualem lectionem, & inde ad horam orationis mentalis, quæ deinde intra diem per mediam horam repetitur; & per quadrantem ante prandium & alium quadrantem ante cubitum peragendo examen conscientiæ.*

v. 195. Hic reus. *Partes examinis conscientiæ indicantur. Sed cum altius legisset Clemens ob fervorem animi, ad excitandum commissorum dolorem, Christi passionem memorat, & tenera exclamatione in lacrymas abit, unde Franciscus Urreola ex eadem provincia chartam accipiens reliqua legit prout scripta erant. Quam omnes juvenes sæpius deinde relegerunt vel dum prospere navigant, vel dum quiescunt.*

v. 254. Forte iterum Clemens. *Cum Clemens de hoc argumento sermonem injiceret, navis a ventis inopinato impulsu in terram accedens tormentis bellicis impetitur. Varii juvenum affectus.*

v. 271. Heu fuge. *Dux navis inter nautarum voces jubet a portu discedere: ventus obstat: Dei auxilium.*

v. 278. Aligeri. *Tam facile a portu ventis & undis obsistentibus discedunt, ut Angelorum opera dimoveri videantur: eorum etiam curam fuisse ne tormenta bellica eis vel minimum nocerent.*

v. 288. At navis. *Raymundus a Duce navis instruitur de causa explosionis tormentorum, quam sociis narrat. Nempe quod ex oppido Sitias, ad quod impetu ventorum navis accedebat, crediti sunt prædones Mauri. Memorat Raymundus eos sæpe a militibus cinctos lanceis & armis, sed semper animo placido, nunc vero impetitos ad mortem:*

*plura illis appoſita fuiſſe crimina, ſed nunquam crimen piratæ maritimi. Dum hæc narrat, ex Barcinone venit obviam cymba, & affert magnam amphoram vini ex Sitias, quod celeberrimum eſt, memorant periculum, in quo juvenes fuerant ex ignorantia populi, & addit octo monetas argenteas ponderis unciæ.*

v. 330. Quattuor haſtati. *Mittuntur milites ad navem, ut invigilent, ne quis ad navem perveniat, vel ab ea diſcedat. Sed non prohibetur ex cymbis alloqui. Si Sitias bello violento juvenes excepit, Barcino amoris arma adhibens periculoſius juvenes invadit. Plures ex Tyronibus ſunt ex hac urbe, & comitatu. Innuuntur tria hujuſmodi prælia, in quibus arma ſuggerebat amor.*

v. 372. Bis duo. *Poſt quattuor dies Barcinone diſcedunt, & veniunt Palamos, ubi die dominica prohibentur ſacro aſſiſtere.*

v. 385. Nec mora longa fuit. *Ex Pallamòs veniunt ad caput Crucis, vulgo Cadaques. Hic datur facultas deſcendendi ad terram, ſed dux militum vulgo* Alcaide *baculo & minis a littore vociferans eos impedit. Comparatio columbarum accipit rem longe viſum fugientium.*

v. 416. At vos. *Allocutio ad juvenes, dum Hiſpaniæ fines ultimo relinquunt. Galliæ littora ob horridam tempeſtatem non vident.*

v. 428. Nox erat. *Inter navis ducem, & Clementem confabulatio. Dux fumans herbam dictam* tabacco *inſtare vadum periculorum ait, vulgo* Golfo di Lione. *Nautæ accedentes nulla ſigna procellæ eſſe ajunt. Occaſionem ſumit Clemens diſſerendi quantum nautæ debent eſſe ad mortem diſpoſiti. Accedunt alii Tyrones, & nautarum felicitatem notant, ſi ſciant uti laboribus ſuis.*

v. 491. Hora ſonat præſcripta. *Datur ſignum horæ elapſæ poſt cœnam, qua finitur tempus confabulandi. Juvenes ſtatim ſilent, & in ſuam interiorem manſionem revertuntur. Oritur ex improviſo gravis tempeſtas per biduum. Hæc deſcribitur. Inde nautarum timores & gemitus. Unius blaſphemiam alius corrigit Tyronum documenta memorans, dum naucleros ſeparat unda ſupra navem irruens.*

v. 540. Dum mage bacchantur. *Tyronum quies. Apud ſocium Sacerdotem peccata ſua confitentur. Caſtrius eos monet, ut nautas ad pœnitentiam excitent, & ſacerdos confeſſiones excipiat, crucifixi domini imaginem manu deferentes ubique excurrunt, & juvenum curæ nautis mirifice proſunt.*

v. 587. At Caput. *Dolet Rector Averni tempestatem excitasse, precipue observans Angelos juvenum labores aureo libro notare, immo faculas cordi eorum applicare, & verba suggerere, & demum fausta promittere.*

v. 604. Sese irrideri. *Mergitur rabie plenus Rector Averni. Apparet in navi flamma, quam vocant* Santelmo. *Monet Castrius perperam illi procellæ finem attribui, & ut solvant Deo grates flexis genibus eum omnes imitantur.*

v. 623. Et jam. *Primo mane Delphines nautis obsequuntur. Sardiniam vident olim Hispaniæ subditam. Cum Corsica sit vicina, gaudet Castrius hac occasione videndi loca, ubi suæ provinciæ Patres primum exilium sunt passi. Vident Corsicam.*

v. 657. Africus. *Ajacium perveniunt; ubi Gallorum truces vultus, sed non hostiles experiuntur. Permittitur in urbem descendere, Corsi plura benevolentiæ signa ostendunt; aliqui Jesuitæ, qui ibi adhuc restabant accurrunt ad Tyrones invisendos, inter teneros amplexus plura inquirunt. &c. Moniales plura fercula eisdem officiosæ mittunt.*

v. 693. Sed levis aura. *Abeunt a Corsica, unde omnes alii Jesuitæ brevi abituri sunt. Veniunt ad portum Veneris in ingressu sinus Lunen's vulgo* il porto della Specie. *Hunc spatiosum portum securum reddit insula in egressu; in medio mari scaturit fons aquæ dulcissimæ satis profundæ, sed hauriri non potest. Luna civitas Hetruriæ olim fuit prope hunc portum, cui nomen dedit. Ubi dicitur,* Urbe procul domina *intelligitur Genua, cujus dominio spectat portus* della Specie *in suæ ditionis confiniis versus Hetruriam.*

v. 715. Hic tandem. *Gaudet vates jam Tyrones ad Italiam tandem appulsos, ubi non invenient munificentiam, quam in portu S. Mariæ sunt experti, sed experientur magnum levamen degendo inter reliquos fratres.*

v. 726. Non tamen. *Notat ex particulari Dei providentia hac parte navigasse, ut inter Genuam & Portum Veneris observare possent asperos montes & littora deserta, ad quæ Jesuitæ suarum provinciarum delati sunt a Gallis ex Corsica: Innuit summas angustias per octo navigationis dies, & tamen coacti sunt Jesuitæ solvere quattuor mille uncias argenti pro personis vix 800. quamvis strictas quasi poma in canistro degerent, sine operimento per octo dies victu tenui & nocivo.*

v. 764. Vos decet. *Debent juvenes animo recolere multo leviora esse passos. In portu Veneris mutant navem.*

v. 776. Est in conspectu. *Veniunt ad portum Ferrarium*

*rium in insula Elba, ubi sunt celebres ferri fodinæ. Hic tribus diebus immorantur, & propitio vento ad Centum cellas appellunt. In hac prima urbe Status Pontificii mira subito ex lætitia & devotione terram deosculantur, plura amoris signa experiuntur.*

v. 797. Castrius. *Castrius socios alloquitur, & solatur. Deinde cymba per Ostia propitio vento Tibrim ingrediuntur. Clemens flumen comparat cum hominibus in damnum proprium ruentibus; Vincentius cum caduca hominum gloria; Franciscus cum corde hominis semper inquieto nisi in Deo immergatur. Castrius coronam B. V. incipiens socios monet eam simul recitare, quod dies Sabbathi hoc obsequium a Tyronibus, & nautis postulat, & ita ad pagum vespere perveniunt.*

v. 849. At properare. *Dum rusticus videt cymbam appropinquantem, irri orio vultu ad nauclerum exclamat:* portate la peste a Roma? *Concionator forte transiens hæc verba audivit. Juvenes ea nocte in cymba dormiunt. Primo mane ad parœciam accedunt, cum sit dies Dominica ad SS. Eucharistiam excipiendam. Parochus obviam accurrens plura benevolentiæ signa ostendit; per se ipsum vult illis cœlestem panem distribuere; eos rogat ut concioni intersint: cum enim esset tempus quadragesimale, concionatorem tunc habebant pium Religiosum ex ordine S. Francisci. Tyrones benevolo Parocho satisfaciunt, & concionator propositis Tyronibus populo pro virtutis norma in eorum laudes effunditur, & probatos per ignem & aquam exaltans, arguit aversos animo, & mordacem virum zelo plenus coram reprehendit.*

v. 881. Tandem. *Ultima die Martii Romam ingrediuntur. Castrius veniam rogat, quod male gesserit Præsidis munus. Proponit terrestri itinere cum P. Josepho Cattaneo eos Romam præcedere, ut superiores moneat de ipsorum adventu.*

v. 905. Egregii Juvenes. *Testatur vates verba sibi deesse ad exprimendos juvenum sensus ante aras S. Stanislai Kostka. Describitur inde cubiculum, ubi mortuus est; inde reciproca inter Tyrones Americanos & Romanos solatia. Accessus ad P. Generalem jam restituta veste; ejus humanitas. Affectus apud aras S. Ignatii & Xaverii in templo Domus Professæ, tum ad aram S. Aloysii in templo S. Ignatii Collegii & Universitatis Gregorianæ. Nequeunt juvenes hac occasione invisere cubiculum, ubi vixit & mortuus est S. Aloysius, quia a Tyronibus Romanis*

*nis anxie expectantur, ut restitutam vestem deosculentur.*

v. 1006. Hactenus hæc. *Poema concinnatum, cum Clemens XIII. Societatis extinctionem postulantibus negavit, atque præ mærore occubuis e videtur. Pro certo existimat vates Sanctum Pontificem Deum rogaturum, ut sibi substituat aliquem, qui Societati faveat. Non enim evenire posse sibi persuadet, ut tot signa divini auxilii hunc effectum aliquando non sortiantur, etiamsi societas mortua, vel prope mortua censeatur.*

## AD HEROAS EPISTOLÆ.



v. 1. Augustæ ad solium. *Vates, qui in prima epistola transcripsit epigramma, quod adjunxit imagini Augustæ Catharinæ II. septem distichis prout existimat satis eleganter expressis, nunc adjungit poema, quo opus suum eidem Augustæ dedicavit: cum epigrammatibus, quos simul obtulit Augustis Principibus.*

v. 10. Quæ Dominæ. *Ante oculos quidem Augustæ Imperatricis carmina debuerunt erubescere.*

Ad effigiem &c. pag. 124

v. 27. Utque aurora. *Felicitas Russorum incœpit a Magno Petro, sed complementum habuit a Maxima Catharina. Afferuntur causæ.*

v. 94. Parte alia. *Classis Moschorum in Arcipelago res est ita omni admiratione major, ut nihil poeta exagerare possit.*

v. 116. Quid referam. *Leges pro populis tam dissitis & tam diversis sunt opus magnæ mentis, & magnæ prudentiæ; & clementiæ tormenta prohibere ad extorquendam criminum confessionem.*

v. 178. Usus avis. *Descriptio soliti usus, qui elapso sæculo natus Parisiis in Europa urbes propagatus est, ideo nostris avis & atavis ignotus, vulgo* Cavalier servente. *Deinde usus ludorum, vulgo* giochi d'azzardo. *Utrumque usum, seu abusum extirpavit zelus & prudentia imperantis.*

v. 236. Deerat adhuc. *Digna basis statuæ Equestris Magni Petri, digna cura Maximæ Catharinæ. Rupes terrestri & maritimo itinere longe deportanda erat ponderis*

*trium*

*trium millionum librarum 20. unciarum, unde quinque millionum librarum Italarum. Architectus Comes Marinus Carburi Cephaloniæ, qui Parisiis anno* 1777. *Historiam cum figuris nitide vulgavit.*

v. 259. Hactenus. *Hinc vates locum habet commemorandi Augustissimæ Dominæ in Fratres suos protectionem, quam nitide describit a versu.* Discite mortales.

Epistola III. Ad Lusitanam Soc. Jesu Juventutem gratulatio. pag. 234

v. 1. Illustres. *Hæc est prima epistola ad fratres in exilio.*

v. 22. Credideram. *Minister Carvaglio timens, ne auctor nimis acceptus Benedicto XIV. impedimento esset ad ea, quæ contra Jesuitas meditabatur, curavit eorumdem Jesuitarum opera, annuente etiam aula Lusitana eum Roma expellere. Postea hoc ipsum objectavit Jesuitis, quod virum innocentem persecuti fuerint. Unde auctor juxta illum fuit unicus innocens ex Lusitanis, omnes enim, qui in dominiis Lusitaniæ & Status Pontificii degebant, viri facinorosi in ejus diplomatibus declarati erant. Sane qui Lusitani tunc temporis Venetiis aderant, aut interpretativam aut expressam habuerant facultatem loquendi cum auctore, ut Confessarius Franciscanus Exc. Oratoris Regis Catholicis; sed loqui cum Jesuitis in Statu Pontificio erat Lusitanis prohibitum pœna capitis.*

v. 95. Vidi ego. *Mirum exemplum constantiæ unanimis.*

Epistola IV. Ad amicos, quibuscum olim convixit in Lusitania. pag. 139

Epistola V. Ad Societ. Jesu adolescentes Provinc. S. Fidei. pag. 143

v. 82. Et quamquam insultus. *Indicantur, quæ passi sunt Cesenæ, ubi sub dio coacti sunt tota nocte quiescere. Bononia enim curru non ab illis quæsito abeuntes necesse fuit eum brevi dimittere ex defectu pecuniæ solvendæ. Unde totum iter pedibus, immo sine indusiis, vel sudore squallidis peractum est.*

v. 97. Si vos. *Indicatur navigatio ex Corsica ad littora deserta Genuensis Status, quæ etiam innuitur Heroum lib.* 4. *v.* 726. *Deinde inhumanitas, licet ex imprudentia fratrum Coadjutorum Bononiæ.*

Epistola VI. Ad Societ. Jesu adolescentes Provinciæ Aragoniæ. pag. 148

v. 30. Testis ades, Magne Ignati. *In facie templi Collegii Soc. Jesu Majoricæ sunt duæ statuæ marmoreæ, una*

S.

*S. Ignatii, alia B. Virg. sine labe concepta; ideo dicitur S. Ignatium esse testem. Inde narratur factum mirabile, quod vates describit prout a pluribus viris fide dignis audivit, & de quo apud se attestationem in scripto habet a viro satis noto in tota Hispania, qui vixit & mortuus est magna sanctitatis opinione, nec minoris prudentiæ & doctrinæ, nempe P. Petro Calatayud. Habuit deinde occasionem loquendi cum viris fidedignissimis, qui ex Majorica venerant in Italiam, & veritatem facti asseruere prout describitur. Vates ex Majorica rapitur Barcinonem & narrat aliud factum, de cujus certitudine non est adeo certus, sed non obstat quod juvenis ibi indicatus, non ea sanctitatis signa, quæ expectari deberent, inde præbuerit; fuit enim semper optimis moribus præditus, ut omnes testantur, sed ecclesiasticos fastos refertos habemus gratiis spiritualibus alicui concessis, qui ob vanam gloriam facile illabentem similes ulterius gratias non merentur, quamvis boni permaneant. De cætero vates solam eam fidem exigit, quæ viro probo & sincero debetur.*

v. 152. Vos tamen. *Transit vates ad alias celebres imagines B. V. in Provincia Aragonensi: Ad eam quæ Manresæ colitur: Ad aliam de Monteferrato, ubi S. Ignatius militiæ arma deponens per plures dies in extasim raptus est. Et demum ad B. V. de Columna, seu de* Pilar, *qua Deipara vivens apparuit.*

Epistola VII. ad PP. Soc. Jesu Provinciæ Castellæ. pag. 155.

v. 103. Adde. *Cum epistola scripta fuit, expulsi erant Lusitani, Hispani, Siculi, & Neapolitani, in quibus duobus regnis est Scylla & Charibdis; & pars provinciæ ubi transit Padus, in quo fingitur sepultum Phaetontis, nempe Jesuitæ ex Parma & Placentia.*

v. 203. Proxima servabant. *Imago hujusmodi S. Ignatii dæmonibus terribilis esse solet.*

v. 208. Tum mihi. *Pulchra S. Xaverii allocutio: Deinde ipsius & S. Ignatii exempla.*

v. 216. Sit satis. *Otium & labor ejusdem sunt meriti, si obedientiæ, vel divinæ dispositioni conformentur.*

v. 223. Hæc mihi. *Ita constat ex epistolis S. Xaverii.*

Epistola VIII. ad socios Mexicanæ Provinciæ. pag. 166

v. 47. Sed quid ego? *Virgo SS. novi mundi patrocinium suscipiens in Mexicano regno templum erigi jubet.*

v. 140. Tempus eget. *Nimis notum est, quomodo se gesse-*

*gesserunt Missionarii, qui, ut supplerent Jesuitas, in Americam missi sunt.*

v. 159. Talia dicentes. *Post populorum lacrymas, vaticinium poeticum de Missionariorum reditu.*

v. 228. Vos ego. *Primi, qui sacris ordinibus initiati sunt, viginti & unus juvenes ex hac provincia Britinorii, quæ civitas supra montem sita est, ab Illustr. & Reverendissimo Domino Francisco Columbani, & domi suæ perhumaniter detenti, & usque ad sacerdotium promoti procurante auctore epistolæ.*



v. 27. Stringitur ad collum. *Describitur vestis Jesuitarum, quam multi finxerunt, ut incautos fallerent.*

v. 55. Ipsa minor. *Hæc septima epistola debet prior se legendam exhibere, tum alias sex epistolas offerre exponens qua occasione scriptæ sunt. Prima duæ ad Lusitanos.*

v. 119. Tertia jam notos. *Tertia ad Socios Provinciæ S. Fidei, Inde quarta & quinta.*

v. 141. Vos ego. *Occasio sextæ epistolæ.*



v. 3. Nam mea. *De prædictionibus S. Theresiæ, & V. Marinæ de Escobar non est dubium, & de aliquibus aliis.*

v. 89. Qui solis cursum. *Tempus præscribere ad Mathematicos spectat; ad servos Dei attinet in Deo confidere, & ad omnia esse paratos.*



v. 5. Late albicantes. *Sorores Phaetontis in populos conversæ ad ripas Eridani continuo lacrymantur.*

v. 68. Vadumque. *Vulgo* Golfo di Leone. *Deinde aque Eridani jam salsæ solum possunt redire, si eas terra absorbeat, ad loca, ubi nascitur Eridanus.*



v. 19. Quid tamen. *Si modo vates scripserit, canere pos-*

*posset*: Jam ter quinque valent lustra vocare senem.

Epistola XVII. Clarissimo Viro Joanni de Ossuna &c. pag. 204.

v. 121. Bœtica, cui. *Provincia Bœtica ad juvandos Lusitanos exules in Italia uno ferculo quotidie omnes suos privare ultro voluit, quod deinceps plures in Europa, & in America provinciæ imitatæ sunt. Mira fuit Hispanorum pietas erga Lusitanos; nam libros & plura etiam sibi necessaria cum superiorum facultate vendiderunt, ut multas possent eleemosynas accumulare.*

v. 127. Quam bene. *In hac provincia Tyrones mira constantiæ & pietatis exempla exercuere, quod in pluribus etiam evenit.*

v. 137. Egregios cecini. *Anno* 1740. *cum Rhetorices præcepta Eboræ traderem, plures insignes viros ex hac provincia celebravi publicis Academicis exercitationibus, de quo plura videri possunt in duobus tomis Artis poeticæ Venetiis editæ anno* 1781. *apud hæredes Constantini.*

Epistola XVIII. Ad amicum, de sociis suæ provinciæ desertoribus. pag. 210

v. 49. Sæpe parum cautos. *Prima ruina viri religiosi est confidentia etiam casta, & pia cum persona diversi sexus.*

v. 73. Ah timeas. *Cum vir religiosus amat potius cum externis loqui, quam cum suis, signum est proximæ spiritualis ruinæ.*

v. 113. Causa mali tanti. *Otium est origo spiritualit dissipationis; cum modo Jesuitis sit quasi necessarium, potest in summam animæ utilitatem verti, præcipue orationi mentali incumbendo; deinde non negata animo honesta recreatione illis studiis se quisque applicet, quæ suo genio magis arrident.*

v. 143. Proluat. *Poesis, Eloquentia, Historia, Physica.*

v. 173. Hauriat. *Tres opiniones circa fontium originem. Deinde color &c.*

v. 187. Ut nostris. *Aliquot sidera post quinque mille annos ab hominibus videri judicat Boscovich, & aliqui Astronomi. Quod si verum sit, conjice quam a nobis plus distent quam Sol, qui paucis minutis postquam apparuit, a nobis videtur.*

v. 195. Nec procera arbor. *Botanica. Ex florum pulvere, quo semen fœcundatur, apes conficiunt ceram. Inde transit vates ad indagandam animalium naturam.*

v. 227. Si fortasse. *Jus Canonicum, Theologia speculativa, Scripturalis, Polemica, Moralis, Ascetica.*

Epi-

v. 61. *Pariter pro simul.*

v. 134. Currere. *Ex S. Cecilio M. habemus B. V. ante crucem sanguineas lacrymas fudisse, quod opponi videtur opinioni Patrum communiori*: Stantem lego, flentem non lego, *sed dicerem Patres de solita plorandi ratione esse locutos; immo ita exprimi videtur summus dolor in complexione delicatissima, & perfectissima, ut de Salvatore in horto testatur Evangelium; congruum enim erat B. V. non solum ex multis aliis titulis a Patribus expressis, sed etiam ipsa sanguinis effusione fuisse Corredemptricem. Vide opusculum P. Jo. Eusebii Nieremberg*: De amore erga B. V. M. Cap. 14. *ex quo etiam sequentes notas extraximus. Deinde notandum B. V. esse Reginam Martyrum, & in Missa Septem Dolorum expresse dicit*: Felices sensus B. V. quæ sub cruce Domini martyrii palmam meruit obtinere. *Immo S. Isidorus serm. 3. de Assumpt. addit*: Si gladius usque ad animam pervenit, quando ad Crucem stetit, etiam plusquam martyr fuit. *Fateor dici posse B. V plusquam Martyrem, quia multo magis cruciant tormenta animi quam corporis: fateor subire martyrium qui moritur pro Christo sine effusione sanguinis; tot enim martyres in mare & in fornaces jactati gloriosum subiere martyrium: sed pro certo habeo Sanctissimam Dei genitricem filium suum imitatam etiam in hoc redimendi modo, nempe per martyrium tormentorum animæ, quæ in nulla alia pura creatura majora unquam fuere, & in ipsa etiam sanguinis effusione, ad quam summus dolor corporalis, & anxia cordis agitatio coegit.*

v. 164. Non lacero. *In transfixione lateris Christi nullum ipse dolorem sensit, utpote mortuus; sed in corde Virg.*

*Virg. hunc dolorum maximum fuisse plures affirmant.*

v. 171. Quæ cunctis. *Juxta S. Bernardum, si dolores interni B. V. in omnes creaturas dividerentur, qualibet pars in singulis sufficeret, ut omnes ex animi dolore morerentur; unde vita B.V. in tanta cordis diuturna afflictione est tribuenda speciali Dei gratiæ, & etiam constitutioni corporis omnium creaturarum excepto Christo perfectissima; ex quo etiam provenit, quod intensio dolorum multo sit major, quam concipere possimus; ideoque inferius:* Nostros superantia sensus.

v. 237. Vulnere. *Juxta S. Bernardinum dolores B.V. a primo assensu divinæ incarnationi incœpere; cum enim nosceret futuram geniti in cruce passionem, & labores innumeros, intensissimo animi dolore in eadem crucifixa fuit, & ita semper tota vita permansit, eo mater supra omnes dolorosa, quo supra omnes creaturas amantissima.*

v. 340. Ipsa. *Non solum B.V. digne accedentes ad Eucharistiam speciali dilectione protegit, sed sæpe venerationis signa visa est ipsis exhibere. Vide Nieremberg.*

Epistola XXV. Ad dulcissimum amicum Andream Camacho. pag. 250

v. 67. Vix licuit. *Vix ex privilegio potuit anno ætatis 23. celebrare sacrum, facultatem obtinuit ab Episcopo & Provinciali ejus patruis ad missiones proficiscendi. Placebit lectori itineris narratio. Equitavit octo dies per montes asperrimos usque ad flumen, deinde nudis pedibus diebus quindecim per vias valde difficiles inter sylvas & arbores nimium spissos, tum per flumen in Canois (cymbis unius ligni excavati) sex diebus amne præcipiti, deinde in magnum flumen dictum* Pytaza, *post alios quattuor dies navigationis ingressus pagum* S. Thomæ de Andoas, *hic invenit Missionarium Germanicum P. Henricum Franzen, a quo didicit linguam generalem per trimestre. Inde cum neophytis Americanis per 28. dies pedibus nudis, & per 12. dies in Canois contra cursum fluminis, deinde iterum post 25. dies itineris pedibus nudis ingressus loca habitata a natione* Murata, *quam totam in pagum collegit, & Christi militiæ adscripsit per decem annos; hac occasione amicitiam contraxit cum primo Cazichio nationis Xivaros, & ultra linguam generalem opus fuit discere linguam nationis* Muratæ, & Xivarorum *inter se valde diversas.*

v. 69. Qua nulla. *Ut Lector cognoscat difficultatem iter faciendi per ea loca, & quod semper pedibus opus est pergere, notet arbores aliquando tam junctas esse, ut vix locum*

*locum transeundi permittant, deinde residuum loci silvis & arbusculis implicatur, quod idem invenies si sequenti anno redeas. Unde opus est cum neophytis, qui securibus & bipennibus viam aperiant, lente prosequi: terra enim feracissima subito viam occupat. Et cum via ad frequentem usum aptari debet, magnæ expensæ requiruntur. In itinere D. Camacho singuli neophyti ferebant secures, arcum, & sacculum cum farina flava, vulgo* gran Turco; *communiter victus erant psittaci & simiæ.*

v. 93. Sic potuit. *Extruxit D. Andrea Camacho in natione* Murata *templum B. V. Dolorum gladiis transfixæ die* 24. *Junii* 1755., *& templum SS. Cordis Jesu in natione* Xivaros *die* 24. *Julii* 1762. *Prima natio vix mille animas continebat: omnes sunt in pagum uniti, & mirabili innocentia vivebant. Secunda vasta & populosa, & ob viciniam contracta amicitia cum primo* Cazichio, *seu Rege nomine* Mazutaca *baptizatis quingentis parvulis, & ad duo millia in pagum unitis spem dabant, ut omnes ad fidem & vitam civilem reducerentur, sed tunc temporis indictum est Jesuitis exilium.*

*Dici potest Missionarius non solum nationis* Xivaros & Muratas, *sed etiam* Andoas, Zimigæs, Pinches, Roamainas, Gæses, Comacoris, Ytremójoris, Nevas, Uspas, Arazas, Yoinóris, Ychcconegoris, & Pavos. *Hæ omnes nationes in pagum præcipue* Andoas *conveniebant.*

v. 101. Sæpius. *In hoc duello unus vincitur, sed semper dubia est victoria. Crocodili in illis locis & plurimi & magni sunt, forte aliquantum diversi ab illis, quos Nilus educat. Vocantur* Caiman. *Dentes æstimantur ad medicamen.*

v. 105. Contigit hic. *Hic coluber vocatur in illis locis* Japuana: *habet circa quadraginta cubitos longitudinis (notetur quod cubiti hispani* Vara *habent quattuor palmos, & italice* Braccia *tres) Crassitudo colubri erat ut corpus pueri. Oris vero forma sicut lacertæ, sed horribilis. Colubri sex ulnarum seu cubitorum sunt frequentes in illis sylvis.*

v. 117. Sed raro. *Magna serpens, quæ ibi vocatur* jacummama. *Rarissima est, & ego solum cum tribus viris locutus sum, qui eam viderunt, sed vix tota apparet, quia inter sylvas pars magna corporis latet. Crassitudo corporis ad palmos viginti in circuitu extenditur, ita ut magnum arboris truncum existiment viatores, qui alias etiam similes arbores aliquando solo æquatas inveniunt. Si eminus videtur os, nullum est periculum, quia nimis lente progreditur ob immensam molem, & ob densas sylvas atque arbores*

*bores unitas. Novi Romæ P. Carolum Brentanum Germanum tunc Procuratorem suæ provinciæ, qui per annos undeviginti fuit Missionarius, & inde Provincialis. Hic in Missionibus in satis magna distantia se sensit attrahi, cognovit esse serpentis flatum, sed cogebatur, dum locus erat, illuc advolare cadendo ob sylvas impedientes, sed tunc etiam versus attrahentem serpentem semper invitus ferebatur. Unus ex neophytis cucurrit cum gladio adscindendum aerem, clamando: fugiat, & ille ab eo periculo se subtraxit. In facto quod narramus D. Camacho cum aliis fugiebant versus os serpentis, sed cito adverterunt. Potuit etiam magnis ossis ex carne mista cum herbis veneficis occidere serpentem, ut post duos annos ipsi innotuit, sed frustra dentes obtinere quæsivit, quisummopere æstimantur plus quam ebur. Certe illa attractio est mirabilis; neque dubium, hunc serpentem esse maximum animalium terrestrium.*

v. 161. Sed loca. *Amœnissima communiter est regio novi orbis, sed sunt loca qualia hic ad litteram describuntur.*

v. 173. Urbs fuerat. *Civitas* Logrogno *ab Hispanis fundata in Provincia* Xivaros, *quam barbari suos duces sequuti, feroces & bellicosos destruxerunt. Non multum distabat Primus velut, Imperator, ut diximus, a D. Camacho, & ex notitiis, quas habuit misit cymbam ad eum invitandum, & duodecim sues dono &c. Opus fuit facultate tam a Regiis Ministris, quam a Superioribus Societatis, ut illuc pergeret, quia inhibitum erat ob ferociam nationis. Non solum D. Camacho secundam Ecclesiam ibi fundavit, sed aucto in dies numero cum superioribus agebant, ut alios operarios mitteret, sed tunc temporis indictum est exilium, ut dictam est. Non hic est intemperies aeris, ut in alio pago, quia incipiunt montes.*



v. 2. O vatum. *Artem nostram poeticam, de qua jam locuti sumus Ep. 2. ad Heroas, laudibus clarissimi vatis D. Nicolai coronavimus, quem Germaniæ Areostum nuncupare jure merito oportuit. Vide tom. 2. pag.* 466., *& Epigramma sequenti pagina.*

v. 209. Impius *Agrintas* ( *anagrammate* ingratus ) *dignum nomen est Viri scelerati, a quo. Eglon Aaag.* Longe *nimium distat.* Stipulatus *corrige* stipatus; *cætera benignus lector excusabit, & corriget.*

F I N I S.









